DE

QUINTI HORATII FLACCI

EPISTOLA AD PISONES

SCRIPSIT

ENGELBERTUS IOS. HILGERS

PH. DR. AA. LL. M.

BONNAE

APUD H. B. KOENIG.

MDCCCXLI.

Detinuit nostras numerosus Horatius aures.
Ovid.

VIRO

NOBILI GENEROSISSIMO

LIBERO BARONI

CAROLO ANSELMO AB HEINSBERG

FAUTORI DE SE MERITISSIMO

D. D. D.

ENGELBERTUS IOSEPHUS HILGERS.

Quotquot interpretes in Horatii ad Pisones epistola explicanda mentem exercuerunt, totidem fere sententiae in diversissimas partes abeuntes prolatae sunt, atque haud scio, an nulli Romanorum scriptorum operi tam varia tamque contraria fortuna acciderit. Quum vero tot ac tanti viri docti in ea inlustranda elaboraverint, ut iam Muretus brevi plures interpretes, quam versus eam habituram esse dicere soleret: facile quispiam temeritatis et arrogantiae me accuset, qui de hac re denuo disputare mihi proposuerim. Sed, quoniam liber et patens litterarum campus est, mihi quoque eum intrare et certamen licebit inire. Tantum vero abest, ut me totam rem confecisse glorier, ut virorum doctorum veniam implorem, quod rem toties tractatam retractandam susceperim. Verum ad hanc scriptionem nulla alia re, nisi summa huius carminis admiratione adductus sum, quae, si illa minus erit perfecta, me excusabit. Quocirca, facturusne sim operae pretium, si certo consilio, severo sententiarum ordine et accurata orationis perpetuitate hanc epistolam non carere demonstraverim, aequis virorum doctorum iudiciis committam. Sed, priusquam hoc propositum persequendum aggrediar, quid alii de hoc carmine iudicaverint, videamus.

I.

Vere recteque *Goethius* noster [1]: *Hoc opus*, inquit, *ad explicandum difficile ab aliis aliter et decimo quoque anno ab eodem aliter intelligetur. Neo vero temere ad scholiastarum sententiam revertemur, qui nihil aliud, nisi abruptas ac dissipatas de arte poëtica et de necessariis poëtae virtutibus observationes absque interiore vinculo positas in eo invenerunt. Atque multo etiam minus hoc carmen satiram in Romanorum fabulas scaenicas scriptum habebimus.* Quare ad meliorem huius operis cognitionem adsequendam scholiastarum veterumque grammaticorum opinionibus omissis Horatii verba ipsa investigemus et sententiarum ordinem persequamur oportet. Quod si fecissent interpretes, non huc illuc vagantes in contrarias de huius carminis inscriptione, consilio et argumento sententias discessissent. Quae quum nuperrime a *Streubero* [2] magna cum diligentia congestae et maximam partem bene sint refutatae, equidem hanc disputationis partem paucis absolvam.

Primum igitur de *inscriptione* viri docti magnopere inter se dissentiunt. *Passovius* [3] enim dicit: *Inscriptio non minus, quam consilium dubia est, quanquam, quae vulgo* **De Arte Poëtica** *fertur inscriptio, cui in plerisque codicibus et veteribus editionibus titulus:* **Liber vel Epistola ad Pisones** *additur, Quintiliani, Symmachi et Prisciani auctoritatibus con-*

---

1) In opp. t. XXXI. p. 263.

2) De Q. Horatii Flacci ad Pisones Epistola. Scripsit Guil. Theod. Streuber. Phil. Dr. Basileae 1839.

3) Des Q. Hor. Flaccus Episteln, herausgegeben von Dr. Carl Passow. Lipsiae 1833. p. 139.

firmatur [1]. Quae licet etiam reliquis veteribus grammaticis uno *Charisio* excepto [2] atque scholiastis probetur, plures tamen viri docti eam non genuinam esse viderunt [3]. Qua de re ipse iis adsentior, qui veteres grammaticos hanc epistolam, in qua multa artis poëticae praecepta invenirent, mature tanquam rem gratissimam separatim tractandam sibi sumpsisse atque ex argumento, quod sibi videretur, ***Artem Poëticam*** inscripsisse contendunt. Itaque iam *Vossius* [4]: *Fallitur*, inquit, *Scaliger*, *quum ἐπιγραφὴν putat esse ab Horatio*, *qui inscripserat* ***Epistolam ad Pisones***. *Argumentum vero*, *ut in epistolarum ceteris*, *ita in hac etiam ab aliis appositum fuit.* Unde haec epistola in omnibus fere codicibus veteribusque editionibus separata invenitur, ita ut ei idem, quod Somnio Scipionis e Ciceronis opere de re publica excerpto et a Macrobio inlustrato, acciderit. Quodsi Horatius ipse hoc carmen titulo ornasset, eum ***Epistolam ad Pisones*** vel breviter: ***Ad Pisones*** id inscripsisse probabile est. Sed, quum veteres epistolis praesertim inscriptiones, quae ad argumentum pertinerent praeponere non solerent, ego ne huius quidem epistolae indicem ab Horatio ipso profectum esse arbitror. Iam vero quaeritur, qua re permotus ad Pisones potissimum Horatius hanc epistolam scripserit. Quod quo melius perspiciatur, qui fuerint hi Pisones et qua necessitudine poëtam attigerint, videndum est. L. Calpurnium Pisonem fuisse, quocum Horatius familiarissime vixerit, *Orellius* [5] et *Streuberus* [6] ostenderunt, quod familiaritate, qua hic Piso cum Au-

1) Quint. VIII, 3, 60. Symm. epp. I, 4. Priscian. p. 1149. P.

2) Charis. p. 182, 188. P.

3) Streuber. p. 3 sqq. Cf. Henr. Stephani diatribe de titulis et ordine librorum Horatii p. 32.

4) Instit. Poëtic. p. 1.

5) Q. Hor. Flaccus. Recensuit Io. Casp. Orellius. Turici 1838. II. p. 568 sqq.

6) P. 83 sqq.

gusto et Tiberio coniunctus erat, confirmatur [1]. Hunc enim Pisonem eximio ingenio praeditum et litterarum fautorem et poëtarum patronum extitisse, tum Antipatri poëtae Thessalonicensis epigrammata [2], tum Porphyrionis verba: *Nam et ipse Piso poëta fuit et studiorum liberalium antistes*, satis declarant. De filiis autem Pisonis nihil aliud certo scimus, nisi quod eos bonae indolis minime expertes fuisse tribus epistolae locis intelligitur [3]. Ad hos igitur Pisones, patrem et filios, quos commentator Cruquii viros nobiles disertosque vocat, Horatius hanc epistolam scripsit, quemadmodum secundi libri primam Augusto, alteram Floro, amico suo, dedicavit, quibus et argumento et consilio et genere dicendi eam persimilem esse, *Morgensternius* iam intellexit [4]. Quid epistolarum ad Augustum et Florum scribendarum occasionem poëtae praebuerit, non ignoramus; quae autem nostrae epistolae scribendae ansa fuerit, non facile ad dicendum est. Quam solius Pisonis natu maioris causa scriptam esse quum ex ea colligi non possit, omnino reiiciendum videtur. Quodsi verum est, quod *Wielandius* Horatium nunquam sine certa occasione scripsisse confirmat [5], huius epistolae hanc mihi ansam cogitaverim. Piso pater pravis malorum poëtarum studiis iratus cum Horatio saepius de hac re et imprimis quidem fortasse de sententia illa:

Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

familiari colloquio disseruerat; quo factum est, ut hanc rem

---

1) Cf. Plin. Nat. Hist. XIV, 22. Suet. Tib. 42. Sen. epp. 83.

2) Anthol. graec. ed. Iacobs. II. p. 97 sqq.

3) Vv. 24. 366. 386.

4) De Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine. Lips. 1801. p. 90 sqq.

5) Horazens Briefe aus dem Lateinischen übersetzt, mit histor. Einleitungen und andern nöthigen Erläuterungen versehen von C. M. Wieland. Lipsiae 1816. p. 188.

carmine persequendam sibi proposuerit. Itaque *Holzapfelii* atque aliorum *commenta*, qui Horatium, priusquam hanc epistolam scripserit, cum Pisonibus de eius argumento collocutum esse opinantur, valde probanda sunt, quum in hac re sola carminis occasio quaerenda esse videatur. Scripta vero epistola nostra videtur intra annos 743 et 745, partim quod summa compositionis perfectio eam inter postrema Horatii scripta referri iubet, partim quod paucis ante annis Pisonis filii nondum iuvenes appellari potuerunt [1].

Sed, ut redeat oratio, unde egressa est, quantumvis licet viri docti de huius carminis consilio et argumento inter se dissentiant, omnino tamen diversae eorum sententiae in tres partes conveniunt. Alii enim scholiastarum veterumque grammaticorum opiniones secuti nihil aliud, nisi plura artis poëticae praecepta sine ullo ordine congesta hic invenerunt. Inter hos numerandi sunt *Georg. Fabricius* [2], *Iac. Grifolius, Dion. Lambinus*, *Iul. Caes. Scaliger*, *Salmasius*, *Gerh. Ioa. Vossius,* plures Francogalli, ceteri, quos *Streuberus* recensuit [3]. Quorum nonnulli tam inepta et monstruosa fecerunt iudicia, quae non possimus, quin miremur. *Grifolius* enim: *Illud,* inquit, *certe affirmare non dubito, ostendisse me locos Horatianos ac totum fere hoc opus ex Aristotelis arte poëtica decerptum esse* [4]. *Lambinus: Sic igitur Horatius in hac ad Pisones epistola quum de omni poëseos genere disputat, tum maxime de comoedia et tragoedia utilissima praecepta dat, non ut philosophus, sed ut poëta* [5]. *Scaliger* [6], quem nimis iniquum Horatii censorem fuisse satis constat: *Nam et Horatius* inquit, *artem, quam inscripsit, adeo sine ulla docet*

1) Cf. C. Kirchneri Quaestiones Horatianae. Numburgi 1834. p. 39.

2) De re poëtica lib. VI. p. 771 sq. ed. Lips. 1589.

3) P. 9 sqq.

4) Q. Hor. Flacci Liber de Arte Pôëtica Iac. Grifolii Lucianensis interpretatione explicatus. Flor. 1550. p. 7.

5) Comm. in Hor. II. p. 548. (ed. Confluent.)

6) Praef. in Poët. et lib. VI. p. 337.

arte, ut saturae propius totum opus illud esse videatur. Ordinem neglexit. Aristoteles, Horatius vitiavit. Similiter *Vossius* ait [1]: *Quasi per saturam praecepta congessit.* Pari modo *Salmasius* [2]: *Epistola Horatii ad Pisones de poëtica perpetuum ordinem seriemque nullam habet, sed ab uno praecepto ad aliud transilit, quamvis nulla sit materiae affinitas ad sensum connectendum.* Nec vero quidquam melius de hoc carmine Francogalli iudicarunt. *Dacierius* [3] enim, qui omnium instar hoc loco nominetur, dicit: *Comme il ne travaillait pas à cela de suite et qu'il ne regardait d'autre ordre, que celui des matières, que le hasard lui donnait à examiner, il est arrivé de là, qu'il n'y a aucune méthode ni liaison des parties dans ce traité, qui même n'a jamais été achevé.* Aliis autem interpretibus videtur accidisse, quod in proverbio dicitur: *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.* Hi enim Horatium perfectam atque omnibus numeris absolutam artis poëticae doctrinam scripsisse statuerunt [4]. Quam quidem sententiam, iam diu antiquatam primus protulit *Daniel Heinsius* [5], qui ubicunque accuratum suaeque opinioni aptum verborum ordinem desiderabat, ut in Aristotele, ita in Horatio quoque, ad versus transponendos confugit. De qua re *Batteusius* [6], Francogallus, recte iudicavit his verbis: *Je n'ai point suivi la distribution de Daniel Heinsius, malgré la confiance, avec laquelle il annonce: Si quis tamen glandes post aristas malit, iis fruatur, c'est ainsi qu'il parle de sa découverte. Il ne serait pas difficile de prouver, que c'est lui même qui a mis les glands*

1) De artis poëticae natura et constitutione.

2) Not. ad Epist. Epict. et Simplic. p. 13. (Lugd. Bat. 1640.)

3) Oeuvres d'Horace t. X. p. 348.

4) Cf. Streuber. p. 17 sqq.

5) Horat. et Arist. de arte poëtica liber. ed. Lugd. Bat. 1611.

6) Les quatre poëtiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, de Despréaux avec les traductions et des remarques par Batteux. Par. 1771. Avant-propos p. 13.

à la place des épis. Sed, quum idem alio loco dicat [1]: *Il est donc inutile de nous fatiguer avec Daniel Heinsius, pour remettre dans l'art poëtique d'Horace un ordre qui, selon toute apparence, n'y fut jamais. Cet ouvrage est la quintessence extraite d'un Art, c'est à dire, d'une collection de préceptes:* semet ipsum non melius, quam populares eius de hoc opere iudicasse ostendit. Cuius rei claro documento sunt haec *Voltarii* [2] verba: *L'art poëtique de Boileau est superieur à celui d'Horace. La méthode est certainement une beauté dans un poëme didactique; Horace n'en a point* [3]. Magno cum studio *Heinsii* rationem, ut alios omittam, secutus est *Michelsenius* [4], professor Berolinensis, qui Horatii artem poëticam in tres partes divisam poëtis aeque ac mathematicorum studiosis Euclidis elementa prodesse demonstrare conatus est. Hac in via omnium longissime *Regelsbergerus* [5] processit, qui Horatium in hoc opere Aristotelem imitatum esse ratus ideoque accuratissimo ordine invento hanc epistolam perfectissimum antiquitatis carmen didacticum, imitationis et brevitatis artificium appellavit. De qua sententia *Eichstadius* bene iudicavit [6]. Praeterea hoc loco nominandi sunt *Hohlerus* [7], qui maximam partem ad *Regelsbergeri* sententiam accessit, et *Arnoldius* [8], qui absoluta artis poëticae do-

---

1) Ib. p. 4.

2) Dictionnaire phil. s. v. Art poëtique.

3) Cf. Scaligeri (Poët. I, 6.) de Vidae Poëtica iudicium.

4) Horazens Diehtkunst, erläutert, übersetzt und als ein vortreffl. Ganzes dargestellt von Michelsen. Halis 1784.

5) Horazens Dichtk. in neuentdeckter Ordnung, das vollkommenste Lehrgedicht des Alterth., ein Meisterstück der Nachahmungskunst und Kürze. Latein. nach einer 800jährig. Handschr. Uebers. in dieselbe Versart, mit Comment., Anmerk., Lesarten und einem Auszuge aus Aristot. Dichtk. von I. Chr. Regelsberger. Viennae 1797.

6) In appendice ad Astii librum de Platonis Phaedro. p. 175.

7) Hor. ars poët. mit ausführl. Erklärung von E. Hohler. Viennae 1824.

8) Des Horaz Brief an die Pisonen oder über die Dichtk. Als Ein-

ctrina merito reiecta hoc carmen severissimo atque exactissimo ordine confectum praecipuas tantum et maxime communes artis poeticae leges exhibere contendit. Quamquam igitur hi quoque viri docti in hoc poëmate interpretando vehementer erravunt, tamen, quum in eo sententiarum ordinem ac seriem invenirent, Horatium ab opprobrio illo, quod praecepta, quae ipse dederat, observare non potuerit, liberarunt.

Iam sequitur eorum interpretum multitudo, qui Horatium peculiare quoddam in hac epistola scribenda consilium secutum esse omnes agnoscunt, sed in hoc consilio definiendo vehementer ipsi inter se discrepant. Horum enim alii, ut *Baxterus*, *Hurdius* et *Engelius*, hoc carmen ad Romanorum fabulas castigandas et poëtas scaenicos exagitandos scriptum esse arbitrantur [1]). Alii autem Horatium id potissimum egisse putant, ut Pisonis patris precibus permotus filium eius natu maiorem a versibus faciendis deterreret simulque aequales, quippe qui eodem morbo laborarent, perstringeret. Huc praeter alios pertinent *Sanadonius* et *Wielandius*[2]). Alii denique Horatio propositum fuisse dicunt, ut malos poëtas in universum castigaret, nimium suae aetatis versuum pangendorum studium coërceret atque ad artis praecepta traduceret [3]).

Primo igitur loco *Hurdius* [4]): *Argumentum*, inquit, *carminis unum est, fabulae Romanae condicio*, qua re *Baxteri* [5]) iudicium: *Satira haec est in sui saeculi poëtas, praecipue*

---

leitung in die Aesthetik, für Schulen und Gebildete überhaupt. Von August Arnold. Berolini 1836.

1) Cf. Streuber. p. 31 sqq.

2) Cf. ibid. p. 38 sqq.

3) Cf. ibid. p. 49 sqq.

4) Horazens Episteln an die Pisonen und an den Augustus mit Commentar und Anmerkungen nebst einigen kritischen Abhandlungen von R. Hurd. Aus dem Engl. übersetzt und mit eigenen Anmerkungen begleitet von I. I. Eschenburg. Lipsiae 1772.

5) In Baxteri editione p. 36. (ed. Bothe).

vero in Romanorum drama, confirmare videtur. Quam sententiam carmine in tres partes diviso in commentario comprobare conatus est. Paullo altius iam in huius epistolae naturam penetravit *Sanadonius* [1], quum eius ansam simul et consilium primus investigaverit. Dicit enim: *L'indignation qu'il conçut contre quelques écrivains de son temps, qui se vantaient d'être poëtes, sans connaître le genie de la véritable poësie, et peut-être les instances de Pison et de quelques autres de ses plus illustres amis l'engagèrent à s'expliquer plus au long sur un sujet, où personne ne pouvait donner des règles plus sûres; c'est ce qui a fourni occasion à la pièce, que nous examinons.* Sed nemo in peculiari consilio constituendo longius progressus est *Wielandio*, qui Horatium Pisonis filium maiorem auctore patre a versibus faciendis revocare voluisse e pluribus epistolae locis patere statuit [2]. De quo iudicio recte *Astius*: *Si argumentum*, inquit, *a Wielandio, quamvis multo cum acumine magnaque veritatis specie propositum, cum ipso carmine contuleris et comparaveris, nulla eius vel indicia vel documenta in ipso carmine reperiri in oculos incurrit. Wielandius* vero in eo maxime erravit, quod cum *Sanadonio* neque certam compositionis rationem, neque severum verborum ordinem ex epistolarum licentia in hoc carmine postulari contendit.

Wielandii sententia, quum novitate et sagacitate valde commendaretur, multis viris doctis et imprimis quidem *Stangio, Morgensternio, Mittermayero* et nuperrime *Streubero* probata est, qui sua mente ac ratione haec illave addiderunt. *Stangius* [3] igitur: *Ad pulcherrima*, inquit, *opera, quae unquam*

---

1) Les poësies d'Horace traduites en français avec des remarques et des dissertations critiques. Par le R. P. Sanadon Paris. 1776. t. VII. p. 52.

2) II. p. 190 sqq. Cf. Astius de Platonis Phaedro. p. 35.

3) In prolusione super nonnullis ex Horatii Arte Poëtica sententiis, quam scripsit Stange. Hammonae 1784.

Latium tulit, pertinet procul dubio Horatii de arte poëtica libellus, in quo poëta non universam poëtices artem in systema quoddam redigere, sed tantum Romanos, maxime Pisones, de quibusdam perversis in arte poëtica opinionibus convincere iisque veram poëseos naturam, quanquam non per partes, tradere voluit. Et paullo post: *Est enim satyrica epistola in Romanos poëtas, qui ponere totum nescirent.*

Morgensternius 1), qui hoc opus ex materiae indole ad genus didacticum sensu latiore sumptum refert: *Equidem*, inquit, *puto Horatium non solum id egisse, ut malos sui aevi poëtas exagitaret ac levia hominum de poësi iudicia ad severitatem traduceret, sed etiam, ut Pisonem natu maiorem moneret et ab errore revocaret. De argumento illud quidem constare, curiosius moneri a scriptore artem esse poëticam, sine qua ne ipsum quidem satis valeat ingenium, quam eius artis discendae tractandaeque rationem via et ordine atque ita, ut nihil desit, studiosius difficultates, quibus hoc studium prematur, exponi, quam earum superandarum praecepta tradi. Operis igitur argumentum a Flacco ita comparatum non temere dicemus, ut potius mali poëtae deterreantur, quam ut poëseos attingendae cupidi incitentur et promoveantur. Primaria autem totius operis propositio, circa quam reliquae versentur, omnino illa statuenda erit:*

Mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.

Mittermayerus 2), ut *Colmanum* 3), *Boscavenium* 4), Anglos, et *Wetzelium* 5) omittam, a *Wielandii* sententia eo tan-

---

1) L. l. p. 90 sqq.

2) Ueber den Brief des Horatius an die Pisonen zum Schlusse des Studienjahres 1826—1827, von Ios. Mittermayer. Schafnaburgi.

3) Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones de arte poëtica. Lond. 1783.

4) The Satires, Epistles and Art of Poëtry of Horace translated into English by W. Boscawen 1797.

5) Hor. opp. ad. Bentl. exempl. ed. I. Chr. Fr. Wetzel. Lign. 1799.

tum discedit, quod Pisonem natu maiorem fabulam componere sibi proposuisse putat.

Hoc denique loco nominandus est *Engelius* [1]), qui, quum *Hurdii* sententiam non omnibus carminis partibus convenire et *Wielandii* coniecturam nimis artificiosam iustoque audaciorem esse videret, inter utrumque mediam viam tenens *Hurdii* et *Sanadonii* sententiis coniunctis hanc epistolam fabulae scaenicae imprimis ratione habita et poëtarum et criticorum Romanorum correctionem esse confirmavit. Ad quam sententiam tuendam praeeunte *Hurdio* argumentum in tres partes communi vinculo carentes divisit, qua ratione unam carminis speciem et formam, quam constituerat, evertit. *Engelii* sententiae adsentiri videtur *Laur. Sahlius* [2]), quum in huius carminis prima parte Horatium de poësi in genere, in altera de dramatica praesertim poësi, in tertia de finibus et officiis poëtae agere statuerit. De consilio, quod poëta sibi proposuerit, incertus: *Satis*, inquit, *nobis ac suo, quod ipse professus est, muneri fecerit, si, ut in tabula quadam, primas ac praecipuas artis lineas duxerit et quasi coloratam quandam eius ac formosam imaginem repraesentaverit, unde quid illam efficeret, quid formaret, quid deceret, quasi coram et uno obtutu conspici posset ac intelligi.* Nec vero explicatam rei notionem, neque praecipiendi rationem in *aureo hocce libello,* quanquam utraque sub epistolae forma lateat, desiderari fatetur.

Verum enimvero omnium interpretum ii certe propius ad veritatem accesserunt, qui Horatium id potissimum spectasse iudicarunt, ut perversa aequalium poëtarum studia et prava eorum de poësi iudicia non modo reprehenderet, sed

---

1) Horazens Epistel an die Pisonen mit einem durchgängigen Commentar und Anmerk. herausg. von Michael Engel. Mogunt. 1791.

2) Q. Horatii Flacci de Arte Poëtica ad Pisones Epistola cum continua exegesi selectisque notis. Adiuncta Aristotelis de Poëtica graece cum notis criticis, latine cum notis exegeticis. ed. Laur. Sahl. Havniae 1802.

etiam emendaret. Cui sententiae iam a *Robortellio* [1]) et *Rappoltio* [2]) prolatae primus videtur accessisse *Schreiterus* [3]), professor Lipsiensis, qui praeterea Horatio in hac epistola scribenda Platonis Phaedrum ante oculos versatum esse pro certo putavit. Quam opinionem *Astius* [4]) paullo post copiosius probare conatus est. Praeclare vero *Schreiterus*: *Quis enim*, inquit, *non fatebitur, utrique scriptori hoc maxime propositum fuisse, ut iudicia popularium, de litterarum ratione inepte sentientium, emendaret et regeret, ut scribendi studium vel potius libidinem a subitanea illa levitate et vana furoris poëtici affectatione revocaret ad artem, suis et propriis legibus tractandam, atque philosophia, hoc est naturae humanae diligenti observatione, unice derivandam, ut iudicii severitatem, limae subtilitatem scribendique curam iis imperaret, quibus ad acquirendam nominis immortalitatem aut populi plausum captandum satis videretur, periturae illudere chartae.*

In eorum autem numero, qui sententia illa probata *Wielandii* coniecturam impugnarunt, praeeunte *Vetterleinio* [5]) imprimis *Haberfeldtius* [6]) referendus est. Hic enim primarium poëtae consilium fuisse censet, ut elegans et subtile iudicium adiuvaret atque nimium percrebrescens versuum pangendorum studium apud populares cohiberet. Itaque in carmine nostro, quod didactico-satyricum nominavit, nihil aliud, nisi malorum poëtarum, qui tum vivebant, castigationem invenit, ad quam scri-

1) In librum Aristotelis de arte poëtica explicationes cum paraphrasi in librum Horatii de arte poëtica.

2) Commentarius in Horatii satyras et epistolas p. 952.

3) De Horatio, Platonis aemulo, eiusque epistolae ad Pisones cum huius Phaedro comparatione. Lips. 1789.

4) De Platonis Phaedro. p. 32. Cf. ibidem Eichstadium p. 157.

5) In Annot. plerumque critic. in singula auctorum veterum loca. Sylloge I. II. 1795.

6) Vorlesungen über Horaz t. IV. (Lipsiae 1802.) p. 225 sqq.

bendam praegressa colloquia vel aliae cum Pisonibus necessitudines poëtam impulerint. Idem tamen Horatium id praecipue spectasse bene intellexit, ut poësim re vera artem esse Romanis demonstraret, ideoque eum in scaenica poësi maxime versari. Recte *Reenenius* [1] quoque observavit, hic non solum Cn. Pisoni filio, sed etiam aliis, arte ad poësin opus esse ostendi, quo epistolae natura minime tollitur. *Haberfeldtii* autem sententiam *Schellius*, *Klindworthius*, *Hochederus*, *Dohrnius*, *Doeringius*, *Machacekius*, alii plus minusve probarunt. *Schellius* [2] partim *Wielandium*, partim *Haberfeldtium* secutus: *Omnia*, inquit, *huc redeunt*, *poësin esse artem*, *non vanitatem orationis adhibitam. Hoc vero poëma ea de causa conditum esse*, *ut testatum relinqueret Horatius*, *quanto cum bonarum litterarum periculo ista poëtarum manus in poëseos (maxime vero dramaticae) finibus grassaretur*, *quamque difficile esset*, *legitima poëmata condere*, *quae intelligentium hominum ferrent plausum*, *ipsa libri conformatio testari potest.*

Pari modo *Klindworthius* [3]: *Operis*, inquit, *argumentum ita a Flacco est constitutum*, *ut non solum aequales*, *qui pro poëtis et criticis haberi vellent*, *perstringeret atque rideret*, *sed etiam*, *ut statum litterarum Romanarum*, *qualis tum erat*, *bene perspectum habens*, *ad dramaticam poësin imprimis eos institueret*, *seu omnino*, *ut ipsius verbis utar*, *eos doceret:*

Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

Iam vero *Doeringius* — *Hochederum* [4], qui praeunte *Schel-*

1) Disputatio philologico-critica de Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones. Amstelodami 1806. p. 87.

2) Q. Hor. Flacci de Arte Poëtica liber ed. C. Gottl. Schelle. Lips. 1806. Prolegom. p. 3 sqq. Cf. Pauffler, qui de Horatio incredulo osore ad versum 188 epistolae ad Pisones disputavit. Dresdae 1812. p. 25.

3) Specimen editionis Artis Poëticae Q. Hor. Flacci. Götting. 1816. p. 17.

4) Des Q. Hor. Fl. Buch über die Dichtkunst, oder Brief an die Pisonen, von Fr. Paula von Hocheder. Passaviae 1824. p. 15.

lio epistolam nostram carmen satyrico-didacticum appellat, et *Dohrnium* [1]), qui de eius consilio et argumento cum illo consentit, omitto — *Doeringius* [2]) igitur suum de hoc carmine iudicium ex *Wielandii* atque eorum, quos modo nominavi, sententiis composuit. *Argumentum huius Epistolae, quae recte didactico-satirica dici potest, Horatius ipse constituit his tribus versibus 306—308:*

> *Munus et officium nil scribens ipse docebo:*
> *Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam;*
> *Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.*

In scribendis autem epistolis non certum quendam ordinem sequi, sed, quae succurrunt, liberius et curiosius addere et inter se iungere solemus. Quod quidem de vitae quotidianae epistola, minime vero de poëtica vel Horatiana confirmari potest [3]). *Machacekius* [4]) denique epistolam nostram carmen critico-satyricum dici voluit. *Poëta enim,* inquit, *ratione temporum ductus, quum indocti doctique poëmata passim scriberent, ostendit; quantum ad poëma rite condendum requiratur, et in omnes, qui absque illustri ingenio, artisve sapientia et diligentia indefessa in carmina pruriunt, invehitur.*

Quod prudens iudicium non omnino mihi improbandum videretur, dummodo ne *Machacekius* una cum ceteris huius generis interpretibus in eum errorem incidisset, ut in *opere didactico re vera poëtico,* quale nostrum sit, severum exactumque sententiarum ordinem minime postulari existimaret.

---

1) Einige Bemerk. über den Brief des Hor. an die Pisonen. Itzeh. 1824. Cf. Obbarius in Seebodii Bibl. crit. 1829. p. 598.

2) Q. Horatii Flacci Opera omnia recensuit et illustravit Fr. Guil. Doering. Lipsiae 1824. T. II. p. 426.

3) Cf. Manso de natura Epistolae Horatianae in additam. ad Sulzerum IV. p. 401 sqq.

4) Q. Hor. Flacci de Arte Poëtica liber, quem interpretatione atque notis criticis et aestheticis illustravit et vernaculo Germanorum versu reddidit Simeon Carolus Machacek. Pragae 1827.

Reliquum est, ut ad eos, qui novissime de carmine nostro egerunt, pergam [1]. Primus igitur prodeat *Bernhardius* [2], vir acutissimus, qui, quum hic non, nisi summam praeceptorum et consiliorum in usum recentiorum poëtarum scholae scriptam videret, neque sonum et stilum, neque sententiarum ordinem ac seriem permittere iudicavit, ut duabus libri secundi epistolis tertia adnumeretur. Sed equidem has tres epistolas pro argumento, quod maximam partem in poësi latina versatur, ita inter se coniunctas esse censeo, ut eae quasi trilogiam poëticam efficere ac se invicem inlustrare mihi videantur. Bene igitur *Lidbergius* [3], Vestro-Gothus: *Ordo,* inquit, *et forma operis epistolam indicat, ita ut nihil obstet, quominus artem poëticam, quam dicunt, tertiam libri secundi epistolam habeamus.* Ceterum idem Horatium id voluisse arbitratur, *ut non tam arceret Pisonem iuvenem, scribendi cupidum, ab impetu suo sequendo, quam ingenium saeculi, quod in perversitatem et adulationem abierat, castigaret, ita ut, quae acerbius sunt dicta, ea in pravos suae aetatis poëtas praedicata voluerit; quae vero clementius paternaque fere cura et sollicitudine monita, haec ad Pisonem iuvenem erudiendum dehortandumque, ne aestu multitudinis absorberi se sineret, epistolae suae apposuerit.* Sequitur *Carolus Passovius* [4], de Horatii vita et moribus inlustrandis meritissimus. Qui, licet huius carminis dispositione et scriptione epistolae formam indicari fateatur, a ceteris tamen ei cognatis epistolis id excludi vult, quum pro consilio extra epistolae fines posito carmen didacticum sit, quod temporis condicioni accommodatum, primaria totius artis poëticae capita contineat. Nec vero gratam negligentiam obstare

---

1) Quos *Streuber.* l. l., si *Orellium* et *Lilium* (de Hor. ad Pisones epistola. Vratisl. 1838.) exceperis, omisit.

2) Grundriss der Röm. Litteratur von G. Bernhardy. Halis 1830. p. 239.

3) Epistola ad Pisones, seu Ars Poëtica, quae dicitur. Commentatio academica. Londini Gothorum 1833. p. 4 sqq.

4) L. l. p. 132 sqq.

putat, quominus omnes eius partes uni consilio conveniant, quo nihil aliud Horatius voluerit, nisi graecorum poëtarum sectae, quae tum Romae erat, rationem et statum contra malorum sui temporis poëtarum turbam describere ac definire, quippe qui non solum invidia et obtrectatione ducti, sed etiam veri poësis ingenii prorsus ignari monstruosis operibus recentiorum meliora quaeque studia pervertere conarentur. Quod carminis consilium *Passovius* in argumento breviter descripto non male mihi videtur significasse. Idem igitur merito reiecit opinionem *Weicherti* [1], qui Horatium *hanc epistolam scripsisse* putat, *non quo familiares de arte poëtica edoceret, sed se suaque carmina adversus ineptas obtrectatorum voces nugasque defenderet* [2]. De suis enim carminibus Horatius in hac epistola minime loquitur. Cf. v. 306.

Paldamus autem, qui *Passovii* sententiam refellere conatus est [3], recte hoc carmen epistolam esse adfirmavit, quae non ad unum hominem, sed ad universum populum Romanum pertineat, in qua Horatius omnia, quae tum in sermonibus, tum in epistolis, praesertim in libri secundi prima et altera, indicavisset, comprehenderit. Sed quae de huius epistolae consilio et argumento *Paldamus* iudicavit, minus probanda mihi videntur. *Consilium*, inquit, *nihil aliud, nisi de praesentibus et proximis temporibus disputatio est. Primaria autem epistolae sententia haec est: In universum Romanos poëtico ingenio non valere; quare, si quid in illa arte praestare velint, non nisi diligenti Graecorum operum studio, prudenti imitatione et perpetuo limandi labore adhibito id perficere posse.* Quod quidem *Paldamus* inde vult effici, quod Horatius usitatissima praecepta ac prima, non solum artis poëticae, sed etiam cuiusque generis litterarum elementa benevolo animo tradere videatur. Verum illam sententiam hoc illove tantum carminis

1) L. l. p. 139.

2) Poët. lat. reliqu. p. 317.

3) In Iahnii Nov. Annal. t. XV. p. 88 sqq. et t. XXII. p. 439 sqq.

loco significari, neque per totam pertinere epistolam facile intelligitur. Optime vero omnium, ut mea fert sententia, de carmine nostro *Eduardus Muellerus*, vir egregius, nuper iudicavit [1]. *Quisnam*, inquit, *quum de artis doctrina agatur, Horatii non meminerit, cuius epistola ad Pisones apud poëtas et poësis amicos sancta paene auctoritate diu fruebatur. Neque tamen haec epistola omnibus numeris absoluta artis poëticae doctrina, qualis Aristotelis Poëtica esset, si tota extaret, habenda est, sed libri ex occasione oblata scripti speciem prae se fert, quo poëta proxime id egisse videtur, ut animos eorum, quibus eum dedicaverat, ad carminum condendorum difficultatem adverteret, quum plerique illo tempore, sicut hodie quoque, poësin artem esse negarent.* Cui consilio carminis argumentum omnino convenire *Muellerus* pluribus eius locis accurate expositis indicavit. *Orellius* [2] autem, editor de Horatio bene meritus, non nisi eos in hoc poëmate verum vidisse contendit, qui epistolam didactico-satiricam id esse iudicaverint; neque tamen universae poësis leges ac regulas eo contineri, sed omnia fere praecepta ad poësin scaenicam referri. Sententiarum ordinem et nexum sibi semper talem esse visum, qualis in epistola familiari esse debeat. Unde eum in *Wielandii* sententiam relabi apparet. Praeterea *Orellius* Pisonem natu maiorem fabulam satyricam componere voluisse coniecit.

Lilius denique et *Streuberus*, qui postremi, quod sciam, de hac epistola scripserunt, quum alter ad scholiastarum, alter ad *Wielandii* sententiam reversus sit, non modo non propius ad rectam huius operis intelligentiam accessisse, sed etiam longius, quam, qui proxime eos antecedunt interpretes, a vero mihi videntur aberrasse. Ac *Lilius* quidem, cuius iudicium et ipso et Horatio indignum censeo, a Graecorum proverbio: *Μηδὲν ἄγαν* exorsus se non peti putat his *Janii* verbis: *Illos autem ferre non possum, qui tanquam non homo*

1) Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten. II. p. 269 sqq.
2) II. p. 568 sqq. Cf. Streuber. p. 48.

concludi potest. Iam vero *Streuberus* ad sententiam suam confirmandam his *Doeringii* verbis abutitur: *Quod enim quotidianae vitae epistolis proprium est, ut in illis scribendis familiaritate quadam permoti, non certum ordinem sequamur, sed, quae succurrunt, liberius et incuriosius addere et inter se iungere soleamus, id etiam in Horatii epistolis fieri solet, in quibus de philosophia, de studiis poëticis, de habitu saeculi, de statu litterarum disputatum est. Quod si reputassent secum nonnulli interpretes neque operam in carminis argumento ad singula praecepta referendo, neque severa grammaticorum subtilitate ad summam artem revocando perdidissent* [1]. Denique *Streuberus* in epistolae argumento explicando, qua ratione singulae eius partes inter se cohaereant atque ad illud consilium, quod probavit, persequendum conferant, haud satis inlustravit.

Quodsi harum omnium quaestionum summam fecerimus, omnino tres opiniones adhuc circumferri nobis apparebit. Interpretes enim in eo aut praecepta quaedam ad poësin pertinentia sine ullo ordine congesta, aut perfectissimam artis poëticae doctrinam, aut epistolam denique ordine quidem, sed non certo, non accurato, ad singulare quoddam consilium persequendum scriptam invenerunt. De consilio autem ipso et argumento plerique inter se dissentiunt. Qui epistolam hoc carmen esse statuerunt, ii plerumque discrimen inter poëticam et vitae quotidianae epistolam vel non agnoverunt, vel male explicarunt [2]. In poëtica vero epistola certum sententiarum ordinem et accuratam orationis perpetuitatem postulari ex ipsa poësis natura sequitur. Singulae enim poëmatis partes ita inter se cohaereant oportet, ut uni consilio unique argumento conveniant, quod iam *Lambinus* et *Reenenius* intellexerunt [3].

1) P. 96. Cf. Doering t. II. p. 426.

2) Cf. Lil. p. 35 sqq.

3) Cf. eundem p. 37 sqq.

II.

Horatius popularibus, quos non sine magna animi aegritudine celebrata illa Democriti sententia: *Neminem sine furore magnum poëtam esse posse* abutentes et, quum non formari, sed nasci poëtam existimarent, artem poëticam iusto levius tractantes deprehenderet: hac epistola ostendere voluit, quanto labore quantisque studiis ad opera, quae cum Graecis comparata de praestantia ac dignitate contendere possent, perficienda opus esset. Demonstrat igitur hoc, quod nobis tractandum sumpsimus, carmine:

Neque ingenium solum, neque studium et artis doctrinam sine ingenio verum efficere poëtam, sed alterum alterius opem postulare, neque unquam, nisi utrumque coniunctum sit, opus posteritate dignum posse componi.

Idem fere argumentum, quamvis alia ratione, in libri primi Satira decima ab Horatio tractatum esse bene *Lilius* observavit [1]). Quod Horatius in epistola nostra his tribus quasi capitibus, quae communi artis vinculo inter se cohaerent, pertractasse mihi videtur. Primum quidem ad carmina bene scribenda arte, cuius doctrina a Graecis repetenda sit, poëtam indigere significat, quod exemplis maximam partem e scaenicae poësis genere desumptis probatur. (v. 1. usque ad v. 152.) Deinde ad fabulam componendam non sufficere Graecis operam dare artisque scientia pollere, sed vitam ipsam,

---

1) In illa enim satira Horatius contra iniquos obtrectatores se defensurus demonstrat ingenium diligentia et limandi labore adiuvari oportere. Itaque Lucilium vituperat, quod hunc laborem fugerit, neque ad eam, quam adsequi potuisset, perfectionem pervenerit.

quam poësis exprimendam sibi sumat, diligentissime explorandam esse exponit (v. 153. usque ad v. 305.). Tum denique ostendit, quibus severis studiis poëta sese dedere debeat, quod si fecerit, honorem et gloriam, si neglexerit, eum dedecus et contemptum consecuturum esse (v. 306. usque ad v. 476.).

Huius argumenti descriptio ubique fere Socratica illa ironia condita est, qua Horatius tantopere excellit ac sui temporis poëtas, ut qui non minus ingenii quam artis expertes operibus suis elegantium et subtilium hominum aures fatigarent, passim egregie castigavit. Cuius rei clarissima sunt exempla monstruosa illa pictura, qua hanc epistolam inducit, et furiosi poëtae imago, qua eam concludit. Quum vero accurata argumenti explicatio unica sit via, qua iudicium de carminis ordine et compositione recte procedere possit, ad hanc rem paucis de poësi in universum et de Horatiana scribendi arte praemissis persequendam aggrediamur.

Universa poësis quum pulchra et idealis, ut ita dicam, rerum humanarum imitatio sit, poëta nihil effingat oportet, quo elegantiae et pulchritudinis iudicium offendatur. Qua quidem re posita iam sponte sequitur, ut omne poëma non minus, quam quodlibet aliud artificium nobis imaginem ante oculos ponere debeat, cuius partes ita inter se cohaereant sibique conveniant, ut unam simplicem ac totam speciem et formam, quam ἰδέαν Graeci vocant, in animo nostro conficiant. Horatius igitur, qui verus perfectusque poëta sententias splendidissima oratione ita vestire atque efferre conatur, ut eas videre potius, quam audire nobis videamur: perspicuas oculis nostris imagines proponit, quas e singulis aptissimisque partibus, tanquam penicilli lineamentis, componit vividisque coloribus depingit. Itaque poëta cogitata sua singulis notat exemplis, ut certam et claram notionem rerum, quas inlustraturus est, in animo nostro efficiat. Plerumque vero tribus eum exemplis uti, quibus sententias suas exponat, primus notavit *Henr. Duentzerus* [1]).

---

1) Kritik und Erklärung der Oden des Hor. 1840. p. 20 sqq.

Horatius igitur statim ab initio epistolae poëtas reprehendit, quod illam cuique carmini necessariam artem, qua simplex et unum sit, ignorent, quod totum componere nesciant. (usque ad v. 37.)

Videamus, quomodo poëta hanc sententiam pertexuerit. In ipso carminis exordio Horatius non sine acerba ironia monstruosam nobis depingit imaginem, cuius diversae partes omnino sibi repugnant; cui maxime deformi ac turpissimae picturae poëma comparat, cuius ineptae sententiae, tanquam aegroti vana somnia [1]), tam male inter se cohaerent, ut finis initio minime respondeat. Si quis vobis, Pisones, Horatius inquit, ante oculos ponat imaginem e diversissimorum animalium partibus compositam, ita ut formosae virginis habeat caput, equi cervicem et reliqua aliorum animalium membra variis plumis obducta atque ima parte in turpem [2]) exeat piscem: numquid eam ridiculam esse negetis? Huic ridiculo monstro simillimum erit poëma, cuius inania figmenta tam parum inter se conveniunt, ut principium fini omnino repugnet. Horatio haec scribenti *Platonis* locum in *Phaedro* p. 264. C. obversatum esse non omnino negari potest. His igitur verbis inaequalitas argumenti vituperatur, quod compositionis vitium Romani scriptores licentia poëtica excusare solebant. At haec licentia, Horatius pergit, quam non solum aliis concedimus, sed nobis quoque vindicamus, certis finibus circumscribenda, neque tanta est, ut, quae natura sibi repu-

1) Cf. Pers. Sat. III, 83. Iuv. IX, 16.

2) Goerlitzius in Emendationibus Horatianis (1838) v. 3. corrigit *turpiter hirtum* comparans Epp. I, 3, 22., quam lectionem iam in vetere editione invenit. Quae quum nostro loco minime conveniat, optimo iure Jahnius in Novis Annalibus t. XXV. p. 350. codicum scripturam defendit, bene monens, mulierem formosam superne et piscem turpiter atrum, in quem desinat, sibi respondere. Vocabulum *ater* e rerum natura petitum est, quum permulti pisces in dorso et cauda atri appareant. *Turpiter* igitur deformitatis notionem auget. Cf. C. G. Jacob. quaest. ep. p. 74.

gnent, inter se coniungi liceat. Nam contra veritatem naturae minime debet peccari: quod duobus animalium exemplis [1], quae non solum diversa, verum etiam sibi inimica sunt, explicatur.

Iam vero, si quaerimus, quomodo poëtae in vitium illud incidant, nimirum splendere ac se ostentare volunt, quapropter in poëmatum exordio plerumque magnam expectationem excitaturi gravissimis incipiunt verbis atque orationis flores, tanquam ambitiosa ornamenta, spargunt, quum splendidas digressiones, ut amoenae regionis vel fluminis, vel alias rerum naturae descriptiones operibus suis inserunt atque, ut purpureum pannum simplici vesti, ea adsuunt, quae ad carminis argumentum minime pertinent, et lectorum animos distrahunt. Quid enim, ut exemplum adferam, in tabula infelicis hominis naufragium exhibitura sibi velit cypressus? Hoc igitur modo nascitur opus, cuius initium exitui minime respondet, quodque magno hiatu inceptum miserrime terminatur: quod Horatius aptissimo de figulis desumpto exemplo significat. Amphoram fingere coepisti, sed vilis tandem urceus prodit. Quam sententiam Horatius hoc modo concludit. Quidquid scribendum tibi sumpsisti, hoc age, ut omnes eius partes fiant aequales atque ad unum simplex et totum argumentum redeant [2]. Cum nostro loco plerumque comparant *Aristotelem* in *Poët.* XIII, 3. et *Platonem* in *Phaedro* p. 265 D. Sed solius *Platonis* locum nostro convenire perspicuum est, quum *Aristoteles* de re omnino diversa loquatur [3]. Verbis autem, quae sequuntur, Horatius, qua de causa scriptores contra praeceptum illud peccent, enunciat. Plerique nostrum, Pisones, inquit, patrem et filios honorificis verbis appellans, studium et artem negligentes specie verae pulchritudinis fallimur, ita ut errorem vitare conaturi in

---

1) Cf. Duentzer. l. l. p. 21, 4.

2) Cf. Jo. Georg. Eccius de versu 23. bene disputans in libello academico Lips. 1798. edito. part. I. II.

3) Cf. Duentzeri liber: Rettung der Arist. Poëtik p. 158.

contrarium incurramus: qua in re explicanda pluribus utitur exemplis [1]). Etenim, qui brevitati student, in obscuritatem, qui nimio orationis ornatui operam dant [2]), in tenuem et enervatum sermonem, qui sublimitatem sectantur, in tumorem et, qui nimis anxie inflatum dicendi genus vitare volunt, in humile delabuntur [3]). Qui denique lectoris delectandi causa unam materiam variare et amplificare conantur, naturae omnino contraria atque inepta dicunt, quum piscem in silvam et quadrupes animal in aquam transferant. Ergo aliud vitium vitaturi in aliud incidimus, nisi artis scientia ducti felicem quandam mediocritatem tenere possimus. Quantopere vero artis doctrina requiratur, quum maxime in toto opere perficiendo cernitur, quo quidem loco plurimi scriptores ad inritum cadere solent. Ut enim vel infimus faber statuarius singulas corporis partes, ut ungues et capillos, bene exprimere possit, in summa tamen

---

1) Cf. Quint. VIII, 3, 83.

2) V. 26 *levia* id est *levigata*, *expolita* (*τὰ λεῖα*) unice vera scriptura est. Ne vero cum Bentleio legas: *lenia* id est *mollia, facilia, leniter fluentia,* quod iam Fea vidit, qui recte: *Non hic lenitas,* inquit, *et vis opponuntur ab Horatio, sed nimia levitas et vis. Sectantem levia: qui nimius est in expoliendis, levigandis carminibus aut versibus, qui eos enervat, inanes facit.* Cf. Obbarius in Zimmerm. Ephem. 1836. p. 688.: *Politur und Glätte, wobei die Gluth verloren geht.* Noster locus inlustratur alio Epp. II, 2, 122. quem Orellius bene exposuit. Mea sententia praeterea confirmatur locis Quint. V, 12. VIII, 3, 6. et Cic. de Orat. III, 52, 201. Cf. Goellerum ad Cic. Or. p. 334 sqq. Paldamus in Jahnii Nov. Ann. t. XXII. p. 440.: *Hoc loco,* inquit, *Arnoldius recte levia praetulit ac melius vocabulo Glätte, quam fliessend, vertit.* Quamquam sunt loci apud Ciceronem et Quintilianum, ubi lenia et vires sibi opponuntur, hoc tamen loco *levia* retinendum puto, quum de perspicuitate, ornatu virili et sublimitate, tribus praecipuis orationis virtutibus, agatur. Cf. Jacob. l. l. p. 46 sq. (sive in epist. ad Benedictum Wilhelmum scripta 1836.)

3) Cf. Quint. XII, 10, 79. 80.

operis infelix erit, si artis doctrina carens totum formare nescit[1]. Nec vero sufficit singulas carminis partes summa cum arte perficere, sed totum omnibus numeris absolutum fiat oportet: nam carmen, cuius aliae partes bene, aliae pessime sunt expositae, homini simile est, qui cetera corporis membra pulcherrimus naso deformi ita depravatur, ut omnes eum abhorreant. Quodsi quaerimus, quid potissimum sit, quod scriptores impediat, quominus totum possint componere, plerique, quum semet ipsos minime noscant, opinato ingenio freti opera suscipiunt, quae vires ipsorum excedunt. Verum, qui rem sibi sumpserit tractandam viribus accommodatam, is, quemadmodum oratione eam exponat, non haerebit, neque, quo loco singula dicat, ignorabit.

Quamobrem Horatius poëtas adhortatur, ut, priusquam ad scribendum sese conferant, rem, quam tractaturi sint, penitus cognoscant, unde lucidus ordo simul et facundia sequatur. (v. 38 usque ad v. 72.)[2]

Hoc loco poëta minime de materia eligenda loquitur, sed hac re tanquam transitione, qua ad elocutionem perveniat, utitur. Primum quidem, qua in re lucidus ordo cernatur, breviter exponit (usque ad v. 45.). Deinde facundiam in singu-

---

1) V. 32. Quamvis lectio: *faber imus* ab Orellio et nuperrime a Lindemanno auctore Bentleio reiecta et *explosa* sit: ego tamen eam, quippe quae plerisque et optimis quidem codicibus probetur, una cum Machacekio retinere nullus dubitaverim. Hic enim recte: *Faber imus*, inquit, *non, qui imam seu ultimam habet tabernam, sed faber, qui tantum abest, ut insignis sit, ut infimus sit et tamen partes recte effingat. Faber imus* igitur inter ultimos, infimos opifices referendus (cf. Ovid. Fast. II, 52.) hoc loco non est ille, qui vilissimus omnium habetur, sed vulgaris faber aliquis putandus est, ut nos dicimus: *Auch der gewöhnlichste Künstler.* Nec vero vocab. *unus aliquis* notari potest, quod Lindemannus v. d. de Horatii arte poëtica part. I. p. 21, quem librum eius benignitati debeo, adfirmat.

2) Cf. v. 311. et Cic. de Orat. I, 14.

lis vocabulis coniungendis, obsoletis recipiendis novisque fingendis positam inlustrat (usque ad v. 72.). Ordinis, inquit, virtus — quae a Cicerone narrationis virtus et ab Aristotele τῆς λέξεως ἀρετή vocatur — ni fallor, haec est, ut scriptor poëma conditurus suo quaeque loco dicat, neque omnia, quae sibi in mentem venerint, temere chartis inlinat, neque quidquam aliud enunciet, nisi quod ad propositum conducat, sed ut plura in opportuniorem locum reservaturus in praesentia omittat et, quae argumento non conveniunt, prorsus abiiciat (cf. v. 149 sqq.) [1]. Quod ad facundiam vel elocutionem attinet, — quam Cicero idoneorum verborum et sententiarum ad rem inventam accomodationem vocat — Horatius pergit, qui subtili prudentique iudicio verba usitata eligit, inter se coniungit apteque collocat, ita ut compositio novitatis speciem prae se ferat: is egregie scribit. *Est quidem,* Cicero inquit, *ornatus, qui ex singulis verbis, est alius qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis, aut iis, quae transferuntur et quasi alieno loco collocantur, aut iis, quae novamus et facimus ipsi* [2]. Neque minus necessitate ferente novas notiones novis vocabulis exprimere licebit; sed in hac quoque re modus servandus est. Nova enim et recens ficta vocabula et e graeca lingua cum verecundia quadam deducta atque translata usu probantur [3]. Quanam de

---

1) V. 45. Bentleius, Sanadonius, alii sequenti v. 46. postponendum esse censuerunt. Sed haec verba non ad facundiam, verum ad ordinem pertinere patet. Scriptori enim aliud eligendum, aliud relinquendum erit. Cf. Orell. excurs. I. Nos contra Lindemannum I. p. 22. cum vulgo hominum doctorum sentimus. De verbis in *praesens tempus* non recte iudicat Wagner. in libro scholastico (1830). Cf. Jahnii Ann. t. II. p. 251.

2) Fortasse Horatio hic Ciceronis locus (de Orat. III, 37.) obversatus est.

3) Cf. Cic. Orat. 24, 80 sq. de Orat. I, 34, 154. Quint. XII, 10, 33.

causa Romani nostrae aetatis scriptoribus negent, quod veteribus poëtis concesserunt? Quidni nobis eodem iure, quo Catoni et Ennio, liceat novis vocabulis linguam nostram augere ac locupletare [1]. Licuit semper nova vocabula, quae praesentis temporis notam exhibent, in lucem proferre. Quam sententiam Horatius lepida comparatione, cui aptissime Augusti laudes inseruntur, explanat. Nimirum, ut omnia, inquit, mortalia varietati et mutationi sunt obnoxia, ita lingua, quoque mutatur, quum multa vocabula iam obsoleta usu, penes quem arbitrium est loquendi, recipiantur. Quemadmodum enim arbores anno ad finem vergente, quum foliorum prima quaeque deinceps cadant, mutantur: ita verba quoque vetustate consenescunt et nova nascuntur usuque probantur. Quid, quod nosmet ipsi et opera nostra peribimus, sive portus est ad naves a tempestatibus tuendas destinatus [2], sive palus olim navigabilis, nunc exsiccatus et excultus, ut vicinis urbibus alimenta praebeat [3], sive denique fluvius in alium cursum deflexus [4]. Quum igitur hominum opera sint peritura, quum omnibus naturae rebus communem intereundi sortem imminere videamus: multo magis etiam lingua mutabitur atque vocabulorum alia,

---

1) Cf. Epp. II, 2, 115 sqq. Cic. de Fin. III, 5. de Orat. III, 43. Quint. I, 5, 71.

2) Cf. Sueton. Aug. 16.

3) V. 65. lectio est vulgata, quam Orellius retinuit: *sterilisve diu palus aptaque.* Bentleius hanc proposuit emendationem: *sterilisve palus prius;* Sanadonius: *sterilisve palus dudum;* sed utrumque reiiciendum et *sterilisque palus diu aptaque* legendum esse puto. Talis enim hiatus haud raro apud poëtas et imprimis apud Horatium invenitur; quod recte iam Gesnerus observavit. Cf. Bothius in annot. ad Feae ed. p. 203. et Duentzerus Kritik p. 383. De re cf. Suet. Caes. 44. Plin. III, 9. Liv. VI, 5. Paldamus autem in Novis Ann. t. XXII. p. 440 haec verba ad Circi maximi aedificationem (cf. Tibull. II, 5, 33.) refert.

4) Cf. Suet. August. c. 30. Schol.: *Tiberim Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem omdo fluit.* Alia Scholia non Agrippae, sed Augusto hanc rem tribuunt.

quae vetustate iam obsoleverant, in consuetudinem, quae, ut *Quintilianus* ait, certissima loquendi magistra est, reducentur, alia autem, quae etiamnunc in usu sunt, consenescent.

Iam Horatius in facundia inlustranda pergens a singulis vocabulis ad orationem ipsam transit et, quibus rebus apta dictio contineatur, exponit:

Itaque observandos esse numeros et colores cuique carminum generi accommodatos, ut aliud dicendi genus tragoediae, aliud comoediae respondet. (usque ad v. 98.)

In hac sententia explicanda ab ipsis metris incipiens cuiusque generis exempla proponit. Quibus versibus, inquit, carmen epicum scribendum esset, Homerus ostendit. Elegia, cuius quis auctor sit, adhuc dubitant, hexametro et pentametro iunctis utitur. Archilochus autem carmina maledicentia iambico versu scripsit, quem versum partim, quod populi clamorem facile superaret, partim, quod diverbiis et rebus agendis maxime accomodatus esset, tragoedia et comoedia receperunt. Melici denique carminis variae species nominantur. Fidibus, id est liberioribus numeris, olim deorum heroumque laudes (ὕμνοι), certamina (ἐπινίκια), amores (ἐρωτικά) et convivia (παροίνια) celebrabant. Quodsi quis varias carminum leges et proprium cuiusque operis colorem servare nequit, poëtae nomine indignus existimandus est. Cur enim pravo pudore ducti rei inscitiam nos celare, quam discere malimus? Iam vero illud *descriptas servare vices* quid sit, accuratius explanatur. Omne igitur carminum genus proprium habeat numerum et colorem necesse est; maxime vero hac ratione tragoedia et comoedia inter se differunt, quae huic rei inlustrandae sint exemplo. Neque enim res comica oratione sublimi et gravi, neque res tragica, ut cena Thyestae [1], sermone humili et quotidiano debet exponi [2], sed utraque inter se diversissima proprio sibique accommodato dicendi genere uti [3].

1) Cf. Pers. V, 8. et 17.
2) Cf. Sat. I, 4, 45 sqq.
3) Quint. X, 3.

Nonnunquam tamen, quum vehementiores animi motus describantur, vel comoedia grandiore dicendi genere utitur, ut iratus ille Chremes tumidis verbis desaevit, et tragicae personae, Telephus [1] et Peleus, humili sermone queruntur, quum patria expulsi ac pauperes, ut spectatorum animos ad miserationem commoveant, magnifica, inflata et grandia verba abiiciunt.

Ad commovendos autem hominum animos non sufficit externam carminis formam esse perfectam, sed oratio argumento consentanea sit, ita ut animi motus et mores accurate exprimantur. (usque ad v. 127.)

Ergo non satis est pulchra esse poëmata, id est legitima et emendata [2], ita oratione ornata, ut auditores delectentur, sed etiam dulcia sunto (quod a Graecis τὸ παθητικόν [3] vocatur), ita ut voluntates hominum, quo velint, impellant, unde autem velint, abducant. [4] Quod quidem quam difficile quantique momenti sit, Horatius ipse his verbis docet: [5]

---

1) Cf. Welckerus tragoed. graec. p. 491 sq.

2) Cf. Epp. II, 1, 73. II, 2, 109.

3) Cf. Cic. Orat. 38, 128. ibique Goellerus.

4) V. 99. *Anxios et sollicitos*, Bentleius inquit, *merito habuit hic locus interpretes, quum obscura sit, quam ponit, oppositio inter pulchra et dulcia.* Itaque pro *pulchra* voluit *pura*; sed recte Hochederus *pulchra* ex iis, quae praecedant, dulcia vero ex iis, quae sequantur, explicari vidit. Illud enim ad orationis numeros et externam formam, hoc autem ad materiam, ad ea, quae dicenda sunt, ad orationem animis commovendis aptam pertinet. Vere igitur Iason de Nores (in Interpretatione in artem poeticam Horatii): *Pulchra*, inquit, *intellige ad ornamenta figurasque orationis, quibus expolitum esse poëma debet. Dulcia ad affectiones animorum concitandas, easque maxime, quae ad misericordiam spectant.* Quibuscum conveniunt, quae Paldamus in Iahnii Nov. Ann. t. XXII. p. 441. monuit, qui confert Quint. IV, 2, 25. X, 1, 73. Cic. de Off. I, 1. Pari modo Graeci utuntur vocabulis καλόν et ἡδύ. Cf. Dion. de comp. verb. 10.

5) Epp. II, 1, 210 sqq.

Ille per extentum mihi funem posse videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Ad hoc igitur consilium adsequendum poëmatis oratio variis animi motibus et cuiusque personae condicioni, aetati et moribus accommodata sit oportet. Quum enim a natura ita comparati simus, ut aliorum motibus, quos animo nostro percipimus, et ipsi moveamur, [1] ut gaudeamus cum laetis ac doleamus cum tristibus, quaelibet persona, quam poëta loquentem facit, si auditores movere velit, verbis cuicunque animi adfectioni consentaneis utatur necesse est: sin autem verba ab animi habitu aliena protulerit, [2] auditores aut ridebunt, aut obdormiscent. Huius loci sunt verba Ciceronis: *Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur.* [3] Moestum igitur vultum tristia, iratum minacia, laetum iocosa, severum seria verba decent. Fert enim natura humana, ut motus cuique vitae condicioni proprius in animo nostro prius nascatur, quam verbis exprimatur, quod Cicero his verbis enunciat: *Omnis enim*, inquit, *motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum, totumque corpus hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a quoque animi motu sunt pulsae.* [4] Nec vero minus apte, quam varios animi motus, poëta cuius-

---

1) Cf. Quint. VI, 2, 26.

2) V. 104. *male mandata* significat aliud atque dolor aut laetitia mandavit. Recte igitur Hochederus: „*A poëta male mandata, ita ut dicentis conditioni atque affectui non sint accommodata.*

3) Cic. de Orat. II, 43, 44. Cf. Arist. Poet. XVII.

4) Ib. III, 57.

que loquentis personae naturam et mores pro dignitate et aetate, pro condicione vitaeque genere, pro patria et educatione diversissimos notare atque oratione exprimere debet. Multum enim interest, Horatius inquit, utrum servus [1], an heros, maturusne senex, an fervidus adolescens; utrum potens matrona, an sedula nutrix, vagusne mercator, an assiduus agricola; utrum denique Colchus, an Assyrius, Thebisne, an Argis educatus loquatur. In moribus autem et personarum natura describendis magni refert, utrum poëta materiam e mythorum orbe notam sibi tractandam sumpserit, an novam invenerit. [2] Quae sententia quomodo cum antecedentibus cohaereat, facile intelligitur. In moribus enim describendis poëtae diligentissime carminis argumenti ratio habenda est. Potest enim aut mythum sequi aut novam personam effingere. Quodsi notum et e mythologia repetitum argumentum sibi tractandum sumpserit atque, ut exemplo utar, honorati [3] Achillis personam denuo in scaenam inducere velit, eius naturam non licet mutare, sed religiosissime eam servare debet. Quod pluribus exemplis inlustratur. [4] Sin autem poëta novum argumentum, novamque personam invenerit, ut haec per totam fabulam sibi constet, diligentissime curandum est, quod Aristoteles ἦθος ὁμαλόν appellat. [5]

---

1) V. 114. unice recta lectio est: *Davusne loquatur, an heros*, minime vero: *divusne*, quam Orellius recepit. Quam parum enim differre possit oratio *divi* cuiusdam et *herois*, apparet. Adde, quod in reliquis exemplis hic ab Horatio allatis bina inter se diversissima sunt.

2) Quantopere viri docti de hoc loco explicando inter se dissentiant, vide sis apud Machacekium p. 38 sqq. et Streuberum p. 98 sqq.

3) V. 120. Quid vocabulum *honorati* hoc loco significet, interpretes minime conveniunt. Paldamus l. l. laudat Hom. Il. β, 647. et 678. *ἀμύμων*, sed rectius Haberfeldtius adfert *τιμήεις, κλεινός*.

4) Cf. Arist. Poet. XV, 5.

5) Cf. Poet. XV, 4, ad quem locum vid. Ritterus in commentario p. 186 sq.

Quae quidem res quum difficillima sit, satius erit notum tractare argumentum, sed ratione prorsus nova et singulari. (usque ad v. 152.)

At vero difficillimum est, Horatius pergit, argumenta ab aliis nondum tractata tanta cum arte elaborare, ut propria fiant scriptoris; itaque multo melius erit notum argumentum, ut Iliadis fabulam, tractandum sibi sumere scaenaeque committere, quam novum, a poëta inventum. Materiam enim ab aliis iam tractatam tibi propriam reddes, si tam nova et singulari arte eam effinges, ut neque in vilissimis et iamdiu pertritis sententiis ac locis communibus immoreris, [1] neque graecum aliquod exemplar ad verbum vertas, neque serviliter imiteris. [2] Neque incipias, ut vilis quidam poëta (cyclicus) olim incepit:

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

Qua tandem ratione magniloquus ille poëta hoc amplum argumentum absolvet ac promissis stabit? Magna quidem pollicetur, sed nihil proferet. [3]

---

1) Verba: *proprie communia dicere* iam recte Lambinus interpretatus est: *Communia hoc loco appellat* (Hor.) *argumenta fabularum a nullo adhuc tractata: et ita, quae cuivis exposita sunt et in medio posita, quasi vacua et a nemine occupata.* Quem iam praeivit Acro: *Communia dicere est intacta dicere; nam quando intactum est aliquid, commune est; cum semel dictum est ab aliquo, fit proprium.* Cf. Cic. Brut. 13, de Invent. I, 8 et 48. Quint. VII, 1, 28. VIII, 2 et 5. XII, 1 extr. et 10, 42. Plaut. Rud. IV, 3, 36. Grifolius: *Proprie vocabulo communia ita opponitur, ut privatum publico. Communia* igitur verbis, quae sequuntur, *ignota indictaque primus* poëta explicat (cf. Epp. I, 10, 34 et 20, 4.) et *proprie dicere* quid sit, versibus 131 sqq. inlustratur. Recte igitur Machacekius: *Proprie communia dicere nihil aliud designat, quam non tractata ideoque nemini propria scaenae committere et inde propria reddere.*

2) Cf. Epp. I, 19, 19.

3) Cf. v. 22. Epp. I, 8, 3. Sat. I, 4, 19. II, 3, 9.

Versus 136. et 137. magnopere exercuerunt interpretes, qui non minus de poëta illo cyclico, quam de verbis ipsis inter se dissentiunt. Quaeritur enim hoc loco, quid Horatius his verbis vituperet atque utrum ea ad epici tantum carminis initium referenda sint, an latius pateant, ita ut ad scaenicam quoque poësin pertineant. Quam ultimo loco posui sententiam veram esse facile intelligitur. Alioquin, quid versus 143 sqq. sibi velint, non intelligo, atque eodem iure Aeneidis initium vituperes. Quo igitur modo verba *fortunam Priami* reliqua intelligenda sint, quum ea, quae proxime sequuntur, indicant, tum maxime proverbium: *Parturient montes, nascetur ridiculus mus*, cui versus 139. opponitur. Itaque hoc loco non ipsa verba istius cyclici poëtae et superba initii promissa, sed immensam rerum uno carmine tractandarum varietatem et multitudinem vituperari versus 137. ostendit. Qua re carpuntur poëtae, qui magnos instituunt apparatus, quos levia et futilia sequuntur, quum magna quidem minentur, sed nihil promissis dignum proferant. Horatius igitur poëtas monet, ne in prooemio maiora promittant, quam in opere ipso possint praestare.[1] Quocirca grandiloquo et glorioso cyclici illius poëtae initio,

1) Lessingius (Opp. t. III p. 316. Lachm.) scriptorem cyclicum hoc loco a poëta vituperari putat, quod in prooemio ipso Musae invocatione neglecta carminis argumentum proclamet. Rectius Passovius, Ed. Muellerus et Orellius viderunt Romanos poëtas ab Horatio moneri, ne in ambages cyclici illius scriptoris delabantur, qui ab ovo Ledae incipiat et plura, quam perficere possit, promittat. De *cyclico poëta* interpretes pari modo inter se discrepant. Cf. Weichertus poët. lat. reliqu. p. 322 sqq. et Welckerus in libro praeclaro, qui Cyclus epicus inscribitur, p. 112 sqq. Vers. 137., quem Salmasius graece sic reddidit:

Ἀείδω Πριάμοιο τυχὴν πόλεμόν τε κλεεινόν,

re vera ex epico carmine quodam translatum esse probabile videtur; sed non magis de Antimachi Thebaide, quam de Lyde cogitandum esse facile patet. Melius permulti interpretes hunc locum ad Iliadis parvae initium referunt.

qui non modo Priami fortunam, sed etiam totum bellum Troianum uno carmine celebrandum sibi proposuerat, simplex et modestum Odysseae prooemium opponit. Quanto melius ille, qui nihil inepte aggreditur, incipit:

Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Itaque igitur clarus ille poëta non a grandi et splendido exordio in res humiles atque exiles delabitur, sed a simplici et modesta Musae invocatione exorsus ita in carminis decursu procedit, ut res speciosas et mirandas proferat, quae nativa pulchritudine lectorum animos iucunde moveant. Cuius modi sunt narrationes de Antiphate, Laestrygonum rege, de Cyclopibus, de Scylla et Charybdi. Neque ab ovo Ledae, ut aiunt, exorditur, non ad remotissima tempora ascendit, ut abditissimas rerum exponendarum causas requirat: sed statim ab initio omnibus missis ambagibus atque inutili apparatu neglecto ad res ipsas, quae propositi argumenti sunt, enarrandas ita progreditur, ut lectores iam notas res audire sibi videantur, atque omnia, quae ad argumentum non pertinere et poëtice non posse tractari videt, Horatianum illud:

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor

sequens omittit. Qua ratione res novas effingit fictasque cum veris ita coniungit, ut omnes carminis partes praeclare inter se cohaereant sibique conveniant. Horatius igitur hoc loco Homerum proposuit exemplum imitatione dignum, ut qui omnia vitia hucusque vituperata vitaverit et virtutibus laudatis unus omnium maxime excelluerit. De sententiarum ordine et nexu bene *Hurdius* monuit, inde a v. 136. usque ad 153. inlustrari praeceptum:

Rectius Iliacum carmen diducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.

Minime vero iis adsentiri possum, qui Horatium hoc loco nequaquam de epico carmine incipiendo cogitasse putant, sed

---

1) Cf. Quint. VII, 10, 11.

in scaenica poësi exponenda perrexisse ac verbis: *Nec sic incipies* nihil aliud significari, nisi: *Non omnia in carmine tuo tractabis.* Qua de re omnino mihi cum *Ed. Muellero* convenit, qui Horatium de epico carmine recte incipiendo et perficiendo praecipere statuit, quod exempla mali et boni poëtae mihi videntur certo indicare. Ostendit igitur Horatius inde a v. 131. usque ad 152., quid in argumento ab aliis iam tractato et persona aliorum carminibus celebrata observandum sit. Iam vero Horatius, quam difficile sit *proprie communia dicere sibique convenientia fingere* vel *ignota indictaque primum proferre,* inlustraturus, quid ad novam personam formandam plurimum valeat, exemplis e scaenica poësi sumptis demonstrat. [1])

In scaenica igitur poësi imprimis accurata cuiusque aetatis morum descriptio spectanda est. (v. 153. usque ad v. 178.)

Poëta fabulam compositurus, ut populum capiat et usque ad fabulae finem retineat, accurate inspicere ac notare debet mores cuique aetati consentaneos, quos Horatius paucis aptissimisque verbis describit. Cf. *Arist. Rhet.* II, 12. *Poët.* XV. Quaelibet aetas, inquit, suos habet mores, sua persequitur studia, quae ne confundantur, sed cuique aetati accommodata tribuantur, poëta quam diligentissime curam gerat necesse est. Ut primum enim puer clara voce loqui et commode potest ambulare, cum aequalibus colludere solet, inconsulto irascitur et mitigatur ac singulis horis mutatur. Adolescens imberbis, qui tandem ab educatoris custodia liberatus animum ad studium aliquod adiungit, est mollis ac levis, ita ut facile, quocunque velis possit deflecti et, quae modo concupivit, statim

---

1) Minime Horatius hic, quod Streuberus p. 98. arbitratur, ad scaenicam poësin redit, quum inde a versu 99. non de tragoedia ipsa, sed de oratione pro animi motibus et personarum naturis diversa disserat, cuius rei exempla e scaenica poësi deprompta adfert. Vocabulum *tu* non ad Pisonem solum, sed ad quemcunque carmina scripturum pertinet.

relinquat. [1]) Aetas autem virilis mutatis studiis divitias quaerit, honores adfectat et, ne quid faciat, quod sibi damnum adferat, diligenter cavet. Senex denique multis incommodis obnoxius est, propterea quod vel opes parare studet paratisque nolit uti, vel quod omnia nimis caute segniterque peragit, quum ea longioris vitae spem inchoans procrastinet, atque ignavus et futuri temporis sciendi cupidus, morosus, nec sorte sua contentus de singulis incommodis ac de malis temporibus queritur et iuventutis suae aetatem praedicans minores increpat et obiurgat; praeterea ipsa aetas senilis multis rebus laborat. Itaque poëta cuique aetati partes, quae decent eam, tribuat oportet.

Verum hoc non sufficit, sed, ne veritas poetica laedatur, etiam decorum et probabile atque omnia, quae ad fabulam bene scribendam pertinent, in scaena debent observari. (v. 179. usque ad v. 219.)

Videndum est igitur poëtae, quid scaenae conveniat, quid non. Quamvis enim vehementius hominum animos moveant, quae oculis, quam quae auribus percipiuntur, non omnia tamen in scaenam proferantur: verum actiones nimis atroces, nefandae ac mirae, quae spectatores nimio implerent horrore et naturam humanam offenderent, non agantur in scaena, sed ab hac illave persona enarrentur necesse est. [2]) Adde, quod omnis fabula, ut populo placeat et saepius spectanda postuletur, nec minor, nec maior quinque actibus esse debet. Neque deus ex machina, ut aiunt, ad nodum dissolvendum adhibeatur, nisi fabulae exitus ope divina indigeat; nam explicatio e fabulae argumento prodeat oportet. [3])

Neque quarta persona loqui conetur, quam non modo non desiderari, sed etiam supervacaneam ac molestam esse illo *laboret* indicatur. [4]) Quum Horatius de legibus tragoediae pro-

1) Epp. II, 1, 100. Pers. III, 23. V, 30 sqq.
2) De hoc loco bene disputavit Chr. Henr. Paufler. l. l.
3) Cf. Arist. Poët. XV, 7. ibique Ritter. Duentzer. p. 66 sq., 169 sqq.
4) Cf. Diom. p. 488 P.

priis loqueretur, chorum necessariam graecae fabulae partem praeterire non potuit. Chorus, inquit, actoris partes tueatur suumque officium observet. Unde actionis particeps fiat eamque pro virili parte adiuvet necesse est, ita tamen, ut eius cantica cum fabulae argumento apte cohaereant. [1] Chori vero partes et officia sunt: personas consilio regere, id est bonis favere et amice consulere, perturbationibus adfectos continere, contra abiecti animi homines, qui semper timent, ne in peccata incidant, adiuvare, [2] virtutem denique laudare, iustitiam et pacem praedicare et personam probam et piam agere (fidem servare ac preces ad deos mittere). [3]

Quum de choro agatur, Horatius musicam, tibiarum nervorumque cantum commemorare debuit; utriusque enim in tragoedia usus erat, et tibia quidem plerumque actori recitanti succinebat, utraque autem chorum adiuvabat. [4] Tibia igitur, quae nunc et pluribus partibus composita et magnifica graviorem

---

1) Cf. Aristot. Poet. XVIII, 7.

2) V. 197. Bentleius pro optimorum codicum scriptura *peccare timentes* ex uno Victoris Giselini libro restituit *pacare tumentes*, quam Orellius *boni* et *peccare timentes* idem valere opinatus recepit et *multas minas iacientes* interpretatur. Gesnerus et Hochederus, quum recte iratos et tumentes fere idem significare censeant, *bonos* hoc loco *fortes* esse, *strenuos*, ideoque vulgatam *peccare timentes*, quod sit *peccare non audentes*, *probi*, *honesti*, retinent. Machacekius cum Haberfeldtio legit *pacare timentes* et explicat: *qui de exitu rerum sibi adversarum solliciti sint, earum sollicitudinem chorus amice sedet.* Ego vero *sensu pulchri plane carere* et veram codicum lectionem *peccare timentes*, quod minime idem, ac *boni* valet, obtinere, quam cum Lindemanno II. p. 4. Bentleii emendationem defendere malim.

3) Minime de tragoediae choro loquitur Horatius Epp. II, 1, 134 sqq.

4) Cf. Cic. Acad. II, 7. Or. 55, 184. Tibiam ad tragoediae chorum fuisse adhibitam praeter nostrum locum Seneca in epp. 84. et Iul. Pollux IV, 4. indicare videntur. In comoedia quoque tibiae locum fuisse Terentii et Plauti fabulae demonstrant.

tubae sonum aemulatur, olim, quamvis tenui sono et simplex esset, tamen, quamdiu populus parvus, moderatus, pudicus et honestus erat, choro adiuvando fuit apta atque flatu suo theatrum paucis et modestis spectatoribus refertum facile implevit. [1]) Quomodo enim undique confusa hominum turba et imperiti rustici a laboribus vacui cum urbanis, rudes cum eruditis, ignobiles nobilibus permixti de hac re iudicare potuerunt? [2]) Posteaquam autem populus Romanus multis victoriis reportatis atque imperii finibus prolatis mollitiei et luxuriae se dedere festisque diebus, quum liceret, tempestivis conviviis indulgere coepit: tum demum numerorum modorumque maior extitit licentia et liberiores numeri adhibiti sunt. Itaque tibicen tibiae foraminibus auctis pristinae simplicitati concitatiorem motum et luxuriosam magnificentiam addidit. Pari modo fidicen quoque prisca simplicitate relicta severos lyrae sonos auxit atque poëta, ut liberiores musicae numeros sequeretur, chori orationem, quae antea simplex et modesta fuit, tantopere immutavit, ut iam praecipiti, inflato et obscuro dicendi genere usus sapientes et fatidicas proferret sententias,

---

1) Cf. Epp. II, 1, 139 sqq.

2) Plerique interpretes de sententiarum ordine et progressu hoc loco ne cogitarunt quidem: alii autem, qui, quomodo hi versus cum antecedentibus cohaererent, se non intelligere viderunt, eos aut eiicere, aut transponere voluerunt. Itaque Paldamus in Iahnii Annal. t. XXII. p. 439. eos spurios esse statuit. *Cur*, inquit, *liber labore minus, quam occupatus sapiat, non intelligo.* Engelius, qui eos hoc loco recte explicari posse negat, post v. 224. transponit. Veruntamen hos versus neque eiiciendos, neque transponendos esse facile perspicitur, dummodo ad ea, quorum causam indicant, referantur. Sunt igitur cum decem, qui praecedunt, versibus coniungendi; ostendunt enim, cur musica scaenica non prius a prisca illa simplicitate desciverit, quam quo tempore populus, quippe magnis victoriis potens, mollis et luxuriosus factus, dies noctesque conviviis et compotationibus benigne se tractare coepisset.

quae ab obscuris Apollinis Delphici oraculis non multum differebant. Ostendit igitur Horatius, quantam vim habuerit artis musicae progressus ad tragoediae chorum et quomodo hic paullatim sit excultus eiusque sermo a prisca arte recesserit. 1)

Nec vero minus in fabula satyrica leges huius generis propriae sunt observandae. (v. 220. usque ad v. 250.)

Tragoediarum scriptor, Horatius pergit, ut populum laetum et lege solutum diutius retineret, satyros agrestes nudos in scaenam induxit atque novum fabularum genus invenit, quo salva tragoediae gravitate spectatores iocis oblectarentur 2). Verum et huic generi accommodatum sermonem propriumque colorem poëta debet servare. Fabula enim satyrica neque tragoediae gravitatem et sublimitatem, neque comoediae levitatem et humilitatem imitetur, sed inter utramque medium quoddam teneat oportet. Quodsi eaedem personae, quae in tragoedia aliqua modo graves, severas ac sublimes deorum vel heroum partes egerunt, in fabula satyrica prodeunt, neque humili et plebeio sermone, neque tumido et inflato dicendi genere utantur, sed in ipso ludendo iocandoque dignitatem quandam servent. Tragoediam vero non decet leves blaterare versus; quare satyri, ut matrona festis diebus saltare iussa, in illa paullum pudibunde prodeant ac verecunde loquantur 3). Equidem, Horatius inquit, si fabulam satyricam scribere vellem, non solum inornatis ac propriis verbis uterer, sed etiam darem operam, ut inter plebeium hominem (nequam servum et astutam mulierem) atque gravem et dignam personam, qualis est severus dei custos et educator, multum interesset. Hoc igitur modo ex noto argumento novam fabulam tam facili ac

1) Cf. Cic. Legg. II, 15, 38.

2) De satyrica Graecorum fabula vide, quae totam rem fere absolvit, egregiam Welckeri disputationem.

3) Hunc locum ab Arnoldio non intellectum, ab Orellio bene explicatum esse recte observavit Lindem. II. p. 6.

simplici ratione componerem, ut quisque idem facere posse sibi videretur, sed quamvis magno labore adhibito frustra tentaret. Tantum enim apta compositio et callida argumenti tractatio valent. Neque Fauni e silvis suis in scaenam deducti utantur sermone tam urbano et ornato, ut homines paene semper in foro versantes, qui molliter ac iuveniliter verborum flosculis lasciviunt, neque tam sordido et obscaeno plebis more loquantur [1]), ut nobilium et ingenuorum hominum aures offendant, quippe qui non eadem, atque infimo loco nati comprobent. Quanquam e nullo epistolae loco effici potest Pisonem natu maiorem in fabula satyrica scribenda occupatum fuisse, hoc tamen genus Romanos quoque tentasse, quum ex hoc loco, tum e versu 285. satis apparet [2]). Iam vero, si quaerimus, cur Horatius in scaenica poësi tractanda tam diu versetur, ex eius Sermonibus certissimam coniecturam facere possumus plerosque artis imperitos Romanorum poëtas, quum studium et laborem fugerent, in difficillimo genere illo infelicissime periclitatos esse [3]). Quum vero Horatius de scaenica poësi ageret, hoc loco maxime opportuno de metro huius generis proprio dicere aggreditur.

Romani poëtae cum omnis generis proprias leges, tum maxime artis metricae praecepta non observarunt. (v. 251. usque ad 274.)

Priusquam Horatius de iambici metri legibus loquatur,

---

1) In v. 245. explicando neque Mitscherlichium sequor, qui putat verbis *innati triviis ac paene forenses* turbam urbanam in universum significari, neque in eorum sententiam discedere possum, qui vocabulum *ac* cum *aut* permutandum esse contendunt. Primum enim Horatius *homines innatos* et *paene forenses* inter se disparatos cogitatione comprehendit, deinde verba sibi opposita disiungit atque alterum v. 246., alterum v. 247. plenius exponit. Cf. Orell. in comment. et exc. IV.

2) Cf. Paldamus l. l. XV. p. 92. et Passovius p. 137.

3) Cf. Epp. II, 1, 166 sqq. et Paldamus.

perspicuam eius imaginem nobis ante oculos ponit. Iambus, inquit, e syllaba brevi et subsequenti longa compositus pes velox est, unde bini iambi ad metrum efficiendum coniuncti sunt, ac tria metra, licet sex pedibus constarent, iambici trimetri nomen acceperunt. Et primum quidem omnes sex pedes sibi similes puri erant iambi; sed nuper [1]) iambi, ut paullo tardiores et graviores auribus resonarent, lentos spondeos aequo animo in metrum receperunt, ea tamen lege, ut locis paribus remanerent ipsi. Quanquam hic iambus loco secundo et quarto et in Attii praeclaris trimetris raro invenitur, et Ennii quoque graves ac ponderosi versus idcirco aut nimiae festinationis et negligentiae, aut turpis inscitiae accusantur. [2]) Verum non quilibet iudex tam subtili et eleganti iudicio praeditus est, ut sentiat versus male compositos, atque hoc in genere poëtis Romanis nimia concessa est licentia [3]). Numquid igitur ego artis legibus neglectis eandem mihi licentiam vindicem, an, licet omnes vitia mea visuros esse putem, securus tamen et spe veniae fretus scribam? Quod si fecero, reprehensionem certe vitavi, laudem non merui [4]). Quum vero tantam in scribendo gloriam sibi comparassent Graeci, ut praestiterint sese dignos, quos imitemur, eorum libros dies noctesque legatis velim. Sed tantum abfuit, ut eos maiores nostri sequerentur, ut Plauti versus et sales non solum nimio aestimarent, verum etiam stulte admirarentur, si nos, Pisones, verba

---

1) Id est Augusti temporibus. Cf. Orellii excurs. V.

2) Cf. Dillenburger. Quaest. Horat. p. 129.

3) Cf. Cic. de Orat. III, 50. Parad. III, 2,.26.

4) V. 265. *Fea* legit *et omnes*, Bothius et Hochederus, quos multi secuti sunt, scripturam *ut omnes* a Bentleio receptam non male defendunt. Sed optimorum codicum lectio *an omnes* iam a Lambino restituta et ab Orellio defensa servanda est. Horatius enim duas sententias plane sibi oppositas enunciat, ita ut altera *Idcircone vager* verbis: *Non quivis* sqq., altera *An omnes* verbis: *Et data Romanis* sqq. respondeat. Sic nunc *Lindemannus* quoque II. p. 7.

lepida et urbana ab illepidis inurbanisque discernere ac versus ex artis legibus compositos sentire possumus [1].

Graeci autem summa cum animi contentione artem poëticam excoluerunt, donec ea praeceps ire coepit. (v. 275. usque ad 284.)

Ad hanc rem inlustrandam Horatius brevi adumbratione tragoediae et comoediae historiam descripsit [2]. Qua significat, quomodo tragoedia a Thespide [3] inventa ab exiguis initiis egressa paullatim ad eam, quam in Aeschyli fabulis admiramur, perfectionem pervenerit, qui modicum scaenae apparatum et sublimem tragicaeque poësis generi accommodatam dictionem invenit. Tragoediae vero vetus illa comoedia, quae magnum tulit plausum, successit. Sed, quum eius licentia homines nominatim carpendi in nimiam insolentiam ac petulantiam excessisset: ne cui iam publice male diceretur, lege vetitum est. Itaque veteris comoediae chorus singulos homines notandi venia sublata male obmutuit [4], unde media comoedia orta est.

Iam Romani quoque cuiuslibet poësis generis periculum fecerunt; sed, quum operam et laborem fugerent, non multum praestiterunt. (v. 285. usque ad 304.)

Haec quidem omnia, Horatius inquit, nostri quoque poëtae tentarunt, neque parvam laudem et tragoediae et comoediae [5] scriptores meruerunt, quod graecis argumentis relictis domestica facta celebrare coeperunt: sed opinato ingenio freti atque operae et laboris taedio capti carmina omnibus numeris absoluta perficere non potuerunt [6]. Vos autem, Pisones, in-

---

1) Cf. Quint. IX, 4, 51. X, 1, 99.

2) Cf. Epp. II, 1, 139 sqq.

3) Cf. Welcker. in Additam. ad Trilog. p. 247.

4) Cf. Epp. II, 1, 152. Cic. de Republ. IV, 11.

5) De fabula praetexta, minime *praetextata*, cf. Lersch. in Welckeri Museo Rhen. VI. p. 509 sqq.

6) Epp. II, 1, 164. 2, 109.

quit, nullum poëma probetis, quin ad summam perfectionem usque politum sit [1], ita ut a Musis ipsis caelatum esse videatur. At vero tantum abest, ut nostri poëtae non tam ingenii, quam eruditionis expertes ad carmina condenda studium et laborem adhibeant, ut Democriti dicto [2] *sine furore quemquam poëtam magnum esse posse* negantis abutentes artem contemnant ac multi divino illo furore freti in solitudinem sese recipiant et summae negligentiae speciem prae se ferentes poëtae nomen adfectent. Quid multa? Insanissimus quisque optimus poëta sibi videtur. Hoc igitur loco Horatius vehementer poëtas carpit, qui artis doctrina neglecta solius ingenii ope poëtae haberi volunt. Quid vero in poëta hoc nomine digno requirat, in Sat. I, 4, 40 sqq. et alias indicavit. Quos quidem insanos poëtas imitari si vellem, optima sane poëmata conderem, veruntamen hanc laudem aliis facile concedo. Quodsi poëtico ingenio caream, neque quidquam ipse iam scripturus sim: tamen bene scribendi praecepta dare atque istis poëtis ostendere potero primum, quomodo a poëta sententiarum et verborum copia comparari possit (v. 309 sqq.); deinde, quibus studiis ingenium ad scribendum debeat praeparari (v. 333 sqq.); denique, quo studium et artis doctrina (v. 391 sqq.) et quo eius ignorantia ducat (v. 416 sqq.).

Itaque ad bene scribendum non satis est poëtici furoris speciem prae se ferre, sed philosophiae cognitione ac diligenti vitae morumque contemplatione opus est. (v. 305. usque ad 322.)

Minime vero poëtae sufficit insanire, Horatius inquit, sed, priusquam rem poëticam aggrediamur, sapiamus, id est, de omnibus rebus recte sentire et iudicare studeamus oportet. Haec est enim sola recte scribendi via, quam philosophorum

---

1) V. 294. Cf. Orell., qui lectionem *perfectum* defendit et bene interpretatur.]

2) Cf. Cic. Divin. I, 37. de Orat. II, 46. et Meinekius quaest. scaen. I. p. 18.

libri nobis ostendunt [1]. E quibus quum hominum condiciones et officia et mores, quorum in scaenica poësi potissimum ratio habenda est, cognoveris, tum accurate poteris ea imitari et cuiusque personae partes ad naturae veritatem verbis exprimere. Neque enim, si rem prudenter intellexeris, apta te deficient verba [2]. Scaenicus autem poëta, cui vitam humanam imitari propositum est, non solum philosophiae operam navare, sed etiam vitam ipsam diligenter debet explorare, ut omnes eius partes, rationes atque hominum mores penitus cognoscat, unde veram et quotidianae consuetudini aptam orationem depromere possit. Interdum enim fabula moribus recte descriptis [3] ac sententiis apte instructa et ornata, etiamsi ceteroquin omni ornatu et venustate verborum omnique arte et gravitate careat, magis tamen, quum ad vitae veritatem proxime accedat, populum delectat et retinet, quam versus rerum expertes atque inanes verborum strepitus [4].

Atque illa re excelluerunt Graeci, quum ingenium studio artisque doctrina excolerent; Romani contra non quaerebant, nisi quae ad victum cultumque pertinerent. (v. 323. usque ad 332.).

Graeci quidem, Horatius pergit, et ingenio [5] et emendate polite ornateque dicendi facultate praediti erant, in qua sola summam laudem posuerunt, neque pecuniae cupiditate ducti ad scribendum sese applicarunt. Romani autem, quamvis ingenio non omnino destituti, tamen in arte poëtica non multum proficere potuerunt, quum educatio eorum non artes et litteras, sed quaestum vitaeque commoda spectaret. [6] At vero homines habendi amore capti minime poëmata omnibus nu-

1) Cf. Cic. Orat. 5, 16, et 33, 118.
2) Cf. Cic. de Orat. III, 31.
3) Cf. Goeller. ad Cic. Orat. p. 252.
4) Cf. Cic. l. l. I, 12.
5) Cf. Epp. II, 1, 93 sqq.
6) Cf. Epp. II, 1, 103 sqq.

meris absoluta, quae ad posteritatem perveniant, perficere possunt.

Quod si poëta adsequi et omnibus probari velit, docere simul et delectare debet. (v. 333 usque ad 346.)

Interpretes fere omnes hoc loco de tribus poësis generibus cogitant, quod mihi videtur esse ab Horatii consilio prorsus alienum. Nam de summo poësis consilio et fine loquitur, quem si consequi velint poëtae atque omnium suffragia ferre, utilitatem cum delectatione iis coniungendam esse contendit. Hoc modo vinculum, quo hic locus cum antecedentibus cohaeret, facile perspicitur. Horatius igitur triplex poëtarum potius, quam ipsius poësis genus distinguens alii, inquit, docere, alii delectare, alii denique docere simul et delectare volunt. Poëtis autem utilia vitae praecepta daturis Horatius brevitatem imprimis commendat, ut, quae doceant, celeriter percipiantur et facile memoria serventur, quum supervacanea omnia tanquam e pleno vase effluant. [1]) Quae delectationis causa finguntur, ad vitae veritatem proxime accedant, neque naturae contrarium aliquid exhibeant oportet. Rebus enim falsis ac naturae contrariis animus oblectari nequit. Quum vero non omnes eadem admirentur et ament, [2]) sed homines aetate provecti ac graves ludicra poëmata respuant et seriis utilitate plenis studeant, iuniores autem elati et superbi seria et gravia contemnant: poëta, qui iucunditatem cum utilitate coniungit, utrisque satisfaciet atque omnium suffragiis probabitur. Qualis poëtae opus omnibus numeris absolutum et multos habebit emptores et in exteros portabitur terras et ad omnem perveniet posteritatem.

In tali igitur poëmate, ut in omnibus operibus hu-

---

1) V. 337. Bentleius, quem Sanadonius temere sequitur, spurium esse putat, et *Vereor,* inquit, *ne monacho potius, quam Horatio versiculus debeatur.* Verum ad duos versus proxime antecedentes confirmandos aptissime pertinet. Cf. Lindem.

2) Cf. Epp. II, 2, 58 sqq.

manis, parvis quibusdam et raris vitiis connivere possumus [1]*: sed multos errores et saepe redeuntes nusquam ferimus.* (v. 347. usque ad 365.)

Sunt igitur errores, quibus veniam dare possimus, iis inquam, in quos poëta non consulto vel pravo iudicio, sed propter imbecillitatem naturae humanae incidit, quod aptissimo exemplo probatur. Etenim, ut neque semper fides reddit sonum, quem tangendo efficere volumus, neque semper sagitta pervenit ad scopum, quem petebat: ita poëtae quoque non semper ab omnibus cavere possunt peccatis. Quamobrem poëma, quod non multis nimisque magnis erroribus laborat, aequo et humano animo legendum erit. Quid vero inde efficitur? Ut scriba, qui quamvis saepe diuque monitus in libro describendo semper in eundem errorem incidit, veniam non meretur, atque, ut fidicen, qui semper eadem in fide tangenda errat, merito irridetur: sic poëta quoque, qui multum et graviter peccat, alter mihi Choerilus est. Nec minus aegre fero, quandocunque praeclarus poëta, ut Homerus, negligenter scribit [2], quanquam in opere tam magno interdum peccari non mirum videtur. Verum poësis eadem atque picturae ratio est. [3] Ut enim aliae tabulae pictae propius spectatae et lumine adhibito accuratius consideratae magis magisque placent, aliae autem eminus conspectae magis delectant, quum arte quidem non careant, veruntamen, si diligentius eas aspexeris, vitia quoque exhibeant: ita illud carmen eo magis te

---

1) Cf. Sat. I, 6, 66: Velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos.

2) Quaeritur, quid Horatius in Homeri carminibus vituperandum invenerit? Ulricius (hist. poës. gr. I. p. 194.) tarditatem narrationis in Odyssea reprehendi opinatur: equidem Horatium Homero boni tantum poëtae exemplo usum esse, neque certum vitium animo eum cogitasse censeo. Si vero de certo errore locum intelligere volumus, praecipue diffusae illae semperque redeuntes descriptiones huc pertinent.

3) Cf. Cic. Tusc. V, 39.

alliciet, quo saepius ac diligentius legetur, hoc autem prima quidem lectione probatum, si penitus id exploraveris, eo minus placebit. Dicit igitur Horatius poëma omnibus numeris absolutum ac perpolitum sit oportere. Cuius rei additur causa.

Quibusdam enim in rebus, quae ad communem vitam pertinent, mediocritas aequo animo ferri potest, poëtis autem, quippe qui artem non necessariam, sed delectando destinatam profiteantur, mediocribus esse minime conceditur. Attamen iam nunc homines vel imperitissimi poësin exercent. (v. 366. usque ad v. 390.)

Hic primum Horatius Pisonem maiorem appellat, qua re notissima Wielandii coniectura nititur. O maior Pisonum, Horatius inquit, quanquam et patris institutione doctrinaque ad pulchri venustique iudicium informaris et per temetipsum iam sapis, hoc memoriae te mandare velim. In ceterarum quidem rerum studiis ac disciplinis, quae ad communem vitae usum pertinent, ut in iuris peritia et eloquentia, mediocritas quaedam conceditur; verum in arte poëtica non homines, non di, ne ipsae quidem pilae librariae mediocritatem ullam permittunt. Ut enim in epulis convivae malum sonorum concentum, mala unguenta et res similes, quibus carere possint, moleste ferunt; sic poëma quoque, quod ad summam perfectionem non pervenit, quoniam non in rebus ad vitam necessariis numeratur, sed ad liberam quandam animi delectationem pertinet, taedium atque indignationem commovebit. Verum hodie omnes indocti doctique poëmata condere volumus. Sed quemquam exercere velle artem sibi prorsus ignotam hominis stulti et arrogantis esse quis negabit? [1] Quapropter imperitum quendam e turba istorum poëtarum Horatius hoc modo loquentem inducit. Cur, inquit, versus facere mihi non liceat, quoniam homo sum ingenuus atque honestus? Qua quaestione noster poëta stultitiam talis hominis satis declaravit. Ad Pisonem igitur reversus, tu vero, inquit, quod tuum ingenium, quae

1) Cf. Epp. II, 1, 114 sqq. Pers. V, 102 sqq.

tua mens est, nihil unquam adversante et repugnante natura scribendum suscipies et, quando scripseris aliquid, priusquam in lucem edatur, severi et integri aestimatoris patrisque et meo quoque iudicio subiicies, quippe qui veri amici blanditiis te non decepturi simus. Neque poëmatis editio a te praecipitetur, quod, dum servas in scriniis, aut emendare, aut delere poteris, sed, quum semel, ut *Symmachus* ait, [1] carmen a te profectum est, ius omne posuisti; oratio enim publicata res libera est. Licet Horatius haec verba, quibus diligens et accurata emendatio commendatur, [2] non soli Pisoni natu maiori, sed omnibus poëtis dicta velit: negari tamen me iudice non potest hunc Pisonem artem poëticam exercuisse, quod a *Porphyrione* confirmatur, atque hunc ipsum hoc loco altera verbi persona (*scripseris*) significari et patris et ipsius Horatii mentio aperte docet. Iam igitur Horatius, ut Pisonem et quemcunque scriptorem ab arte poëtica leviter ac temere tractanda deterreat, sic pergit:

Etenim ars poëtica divina et propter antiquitatem, gravitatem et sanctitatem digna est, quae summopere colatur. (v. 391. usque ad 407.)

Ad hanc autem sententiam argumentis probandam Horatius refert, quantam vim et potestatem poësis in hominum animos olim habuerit: [3] quare a poëtis mythicis exorditur. Orpheus, inquit, sacer deorum vates, qui feras dulci cantu dicitur mitigasse, [4] et Amphion, quem suavi lyrae sono ad aedificandas Thebas lapides admovisse eosque, quocunque voluerit, duxisse ferunt, incultos hominum animos carmine permulserunt atque a feritate et immanitate ad humanitatem ac disciplinam revocarunt. Olim enim poëtae, quos *Plato* deorum

1) Epp. I, 31.
2) Epp. II, 2, 109 sqq.
3) Epp. II, 1, 126 sqq.
4) Carm. I, 12, 7 sqq.

filios et sapientiae patres ac duces nominat [1]), tanta sapientia erant instructi, ut urbes conderent et iure constituto rerum privatarum ac publicarum, sacrarum et profanarum fines describerent, civitates legibus et morum disciplina temperarent, dissipatos homines in societatem vitae convocarent eosque inter se primum domicilio, deinde coniugiis iungerent et legibus latis a feritate ad mitiorem vitae cultum traducerent. [2]) Hoc igitur modo poëtae divino numine adflati ad honorem et dignitatem pervenerunt. [3]) His autem antiquissimis vatibus successerunt praeclari poëtae epici, qui viriles hominum animos versibus ad virtutem et pericula obeunda inflammarunt. Carminibus oraculi responsa edita, recte vivendi praecepta data, principum laudes celebratae, ludi denique scaenici compositi sunt, qui agricolarum laboribus finitis ad animos relaxandos oblectandosque edebantur. [4]) Itaque ergo non est, quod poëtico ingenio praeditum versus facere pudeat. Quae verba non ad solum Pisonem, ut interpretes volunt, sed ad omnes poëtas mihi videntur spectare.

Verum poëta, ut talem honorem et dignitatem consequatur, cum ingenio studium artisque doctrinam coniungere debet, severus sui ipsius castigator, qui adsentatores contemnit. (v. 408. usque ad 437.)

Pervenit igitur Horatius ad conclusionem eius sententiae, quam in hac epistola demonstrandam sibi proposuerat. Quaeritur, inquit, plerumque, utrum inculto ingenio ipso dignitas illa comparari possit, an studium artisque doctrina ad poësin recte tractandam postuletur. Equidem censeo, Horatius respondet, neque doctrinam sine ingenio, neque ingenium sine doctrina in arte poëtica quidquam valere, sed utrumque ami-

---

1) Lys. p. 214.
2) Cf. Sat. I, 3, 99 sqq.
3) Ib. I, 4, 43 sqq.
4) Cf. Epp. II, 1, 140.

cissime inter se coniunctum sit oportere: [1]) nec vero quemquam, licet ingenio sit praeditus, nisi illud a prima iuventute studiosissime excoluerit ac litteris doctrinaque imbuerit, unquam boni poëtae laudem consecuturum esse. [2]) Quid mirum? Horatius ad sententiam illam probandam pergit. Nonne ei, qui in ludis Olympicis victoriam deportaturus erat, iam puero multa fuerunt perferenda, strenue laborandum, frugaliterque vivendum? Nonne tibicini, qui in certaminibus Pythiis cantat, prius erat discendum et ad artem musicam incumbendum? Cur tandem in arte poëtica minus studium, minor doctrina, quam in ceterarum rerum disciplinis requiratur? Futuro igitur poëtae accurata educatione diligentique praeparatione opus esse apparet. At vero nostrae aetatis scriptores [3]) operibus suis facile contenti et nimia ingenii sui opinione ducti, quamvis artis imperiti sint, se magnos poëtas esse gloriantur. Nonne egregia, inquiunt, poëmata condimus? Quid, quod perfectos

---

1) Plat. Phaedr. p. 269 D.

2) Cf. Cic. pro Arch. 7.: *Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.* Praeclare Goethius quoque (in sermonibus Eckermannianis I. p. 261. II. p. 43): *Non nascitur ingenium, ut in semet ipso spem ponat omnem, sed ut ad artem eiusque peritissimos praeceptores sese vertat, a quibus excolatur et conformetur. — A natura quidem nobis insitae sunt facultates, sed culturam et conformationem nostram multarum rerum viribus et incitationi debemus, e quibus asciscimus atque in usum nostrum convertimus, quae se offerunt nobisque conveniunt. Caput rei autem est nos animo praeditos esse, qui verum et pulchrum amet atque, ubicunque illud invenerit, amplectatur.*

3) V. 416. Orellius lectionem *nec satis est* ex uno codice recepit. Sed optimorum codicum scripturam *nunc satis est* totius loci vis et ironia mihi videntur postulare. Nec vero Lindemannus, quum *nec satis est* defendat, intellexit illa verba *nunc satis est* studio et doctrinae opponi.

poëtas sese iactant, quibus prima artis praemia debeantur. Ullo modo se errasse artisque leges ignorare turpe putant fateri: sed tamen operam non dant, ut, quae nesciunt, discant. [1] Accedit, quod locupletes poëtae adsentatores, qui laudem ipsorum celebrent, praeconis instar, qui magno clamore populum ad merces emendas convocat, alliciunt. Quodsi poëta convivas lautis recteque conditis epulis [2] excipere vel pro levi paupere spondere tristique causa implicitum liberare potest, verum amicum a falso dignoscere nequit: quocirca talis hominis laudem nihili facias oportet. Si quem igitur tibi devinxeris, ei versus tuos legere noli, ne munere tuo corruptus falsas tibi laudes impertiat. [3] Quare, si carmina compones, ne a dolosis astutisque istis hominibus decipiaris, caveas. Verum, ut principes, si quem exploraturi sunt, quem in familiaritatem recipiant, multo vino, quod veram animi sententiam recludat, eum tentare solent: ita tu quoque, priusquam scripta tua alicuius iudicio committas, experiri eum debebis. [4]

Verus enim poëta istorum hominum plausu minime contentus carmina ad tantam perfectionem perducere conatur, ut ea non solum sibimet ipsi, sed etiam severo doctoque iudici satisfaciant. (v. 438. usque ad 452.)

Itaque Horatius fallaci illi adsentatori imaginem severi atque integri carminum censoris opponit et, qua re limandi emendandique munus contineatur, ostendit. [5] *Quintilius Varus*, si quis ei carmina recitabat, ea, quae minime apta videbantur, emendari iussit et, si rem bis terve frustra tentaverat ac se locum rectius efferre non posse confirmavit, totum locum,

---

1) Cf. Epp. II, 2, 107. Cic. Tuscul. V, 22. Catull. 22, 14.

2) Cf. Lindemannus, qui recte v. *unctum* intellexit. Cf. epp. I, 15, 44. Pers. VI, 16. Catull. 29, 4.

3) Cf. Pers. I, 52 sqq.

4) Cf. Suet. Tib. 42. Plin. Epp. XIV, 22.

5) Cf. Epp. II, 2, 109 sqq. Quint. X, 4, 1. XII, 10, 80.

inquit, tollas et refingas: sin autem peccata defendere, quam **emendare maluit,** ne verbum quidem amplius addebat, sed isti **poëtae se et** poëmata sua **laudare** concessit. **Hoc igitur** modo censor severus ac probus versus arte carentes vituperabit, male sonantes castigabit, vulgares et inanes calamo notabit, sermonis luxuriem et tumorem coërcebit, obscura inlustrari iubebit, verba ambigua designabit et, quae mutanda sint, indicabit. Aristarchi munus, ut verbo dicam, severissime exercebit. Neque in his rebus, quas illi nugas dicunt, amicum reprehendere dubitabit, quippe quae neglectae poëtae laudem eripiant.

Sed poëta, qui studio et artis doctrina neglectis falso adsentatorum iudicio in errorem se induci patitur, funditus peribit. (v. 453. usque ad 476.)

Horatius hic ridiculam istius poëtae imaginem exitumque depingit, qua re, quo artis imperitia ducat, ostendit. Malum istum poëtam, qui omnium plausum captat, sapientes homines tanquam scabiosum, insanum ac furiosum fugiunt et pueri soli clamore eum persequuntur. Qui furit, nec, quae faciat, videt, sed malos eructans versus elato capite per plateas errat, donec, ut auceps avibus capiendis intentus, in foveam incidat, et, quantumvis praetereuntes auxilio vocaverit, nemo eum exaudiet. Quis enim sciat, utrum consulto se praecipitem dederit ac perire velit, sicut Empedocles ille Siculus poëta et philosophus, qui, ut immortalitatis famam sibi compararet, in ardentem Aetnam se praecipitavit, an casu in foveam inciderit? Quis hoc illi negaverit, quis eum, qui perire cupit, servet? Adde, quod fortasse, si eum e morte eripuisti, paullo post eam denuo quaeret. Neque enim semel hoc ille tentavit, neque, quum servatus fuerit, ad sanam mentem redibit, sed famae cupiditate ductus mortem obire decrevit. His verbis Horatius ostendere videtur poëtas versus faciendi furore captos neque amico monente, neque casu adverso ab hac re deterreri posse. Quos acerbiore ironia perstringere non potuit, quam quod hunc insanabilem furorem poenam iis

esse a diis inrogatam finxit. Itaque, quae sequuntur, cum antecedentibus optime cohaerent. Nec satis perspicuum est, quid ad malos versus faciendos eum impellat, nisi divinitus hoc ei acciderit. Utrum patrios manes violaverit, an sacrum quendam locum polluerit, quis dicat, sed illud certissimum est, deos iratos eum in furorem egisse. Nam, ut fera, quae cancellis caveae fractis erupit, omnes indoctos doctosque fugabit et, quem comprehenderit, ad cupiditatem explendam tenebit ac molesta recitatione necabit, [1] hirudinis instar, quae semel corpori apposita non prius missam faciat cutem, quam sanguine satiata sit. [2] Quae quidem furiosi poëtae descriptio, qua Horatius hanc epistolam pulcherrime concludit, monstruosae imagini ab initio positae optime respondet.

Hoc igitur modo mihi videor brevi significasse, qua ratione Horatius consilium, quod in hac epistola scribenda sibi proposuerat, persecutus sit. An vero in celebratissimo Horatii carmine inlustrando aliquid profecerim, viris doctis, quibus has studiorum primitias commendatas velim, diiudicandum relinquam.

---

1) Cf. Sat. I, 3, 86 sqq.

2) Similem recitatoris molesti imaginem Boilavius his verbis bene expressit (Sat. VIII, 243 sqq.):

Tous les jours de ses vers, qu'à grand bruit il recite,
Il met chez lui voisins, parens, amis en fuite.
Car lorsque son démon commence à l'agiter,
Tout jusqu'à sa servante est prêt à deserter.

Iam pridem haec erant scripta, quum forte in manus meas inciderunt nuncii litterarii Monacenses anni 1837, in quibus sched. 173 sqq. *Arnoldii* liber iam saepius laudatus recensetur. Quo loco censor ipse satis copiose sententiarum ordinem exponere conatus est, qua quidem expositione, licet non ubique appareat, quomodo singulae sententiae inter se cohaereant, tamen ei res melius sine dubio cessit, quam iis, qui hucusque illi carmini explanando operam dederunt. Atque haud scio, an hic etiam plura praestitisset, si non persuasum sibi habuisset, Horatium in universa arte poëtica scaenicam poësin spectare solam ac verbis inde ad v. 136. usque ad v. 152. exempla tantum ab epico carmine desumpta esse, praecepta vero ipsa ad scaenicam poësin pertinere.

Praeterea non ita multo post ab amicis audivi, nuperrime *Lindemannum* quoque, directorem gymnasii Zittaviensis meritissimum, de Horatii ad Pisones epistola scripsisse. Qui quum litteris rogatus duas dissertationis particulas de hoc carmine scriptas ad me miserit, paucis viri doctissimi sententiam addere mihi liceat. In part. I. de epistolae argumento, consilio, ordine et compositione disputat; in altera *Arnoldii* dispositione et sententia refutata de singulis versibus recte legendis explicandisque agit. Primum igitur *Lindemannus* diversis aliorum de huius carminis argumento et consilio et imprimis quidem *Wielandii* et *Lilii* sententiis improbatis eos partem veri vidisse adfirmat, qui putaverint Horatium non uni Pisoni,

sed aliis quoque demonstrare voluisse *arte ad poësin tractandam opus esse.* Deinde ad argumentum epistolae explicandum singulas eius sententias tanquam praecepta deinceps enumerat, sed quomodo ea inter se connexa sint, non satis explanat. Tum consilium epistolae exponere aggressus, quod unicuique carmini existimat *ἰδέαν* quandam, ad quam omnes eius sententiae redeant, subesse debere, nobiscum facit; sed, quod *ἰδέαν* et consilium idem esse contendit, a vero nobis videtur aberrare. Carminis vero argumentum et consilium ab Horatio enunciatum esse censet his versibus:

Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, excors ipsa secandi;
Munus et officium nil scribens ipse docebo:
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

Quam sententiam eo probari putat, quod *poëta, quum in superioribus de generibus carminum deque eorum virtutibus exposuerit et, quid in perfecto poëmate requireretur, ostenderit, inde ab illo, quem exscripserit, loco, quomodo istae virtutes parari possent, et quid iuveni esset agendum, si poëta fieri vellet, docuerit. Iam quis est,* pergit, *qui dubitet, hoc ipsum totius esse epistolae consilium, vel, ut veriori dicendi formula utamur, hanc esse carminis ideam? Ergo Horatius scripta ad patrem et iuvenes Pisones epistola, adumbrata paucis artis poëticae disciplina, qua ratione studendum sit litteris, siquando felices velint fieri poëtae, satis copiose docet. Haec summa est carminis, haec suprema sententia, ad quam omnia ac singula effata poëtae referenda; haec est idea, quam poëta per totam epistolam persequitur.* Verum de hoc loco recte *Lilius* (p. 86.): *Equidem,* inquit, *profecto, ut scribendi eiusmodi consilium tantum non sub finem epistolae propositum esse concedam, nullo modo a me impetrare possum.* Numquid hoc tandem loco Horatium epistolae consilium vel argumentum enunciasse putemus? Quonam igitur spectant omnia, quae praecedunt? Sed hic plerique interpretes haerebant, qui Horatium ipso Democriti dicto per-

motum *munus* et *officium* poëtae docuisse non viderunt. *Lindemannus* autem haec Pisonis natu maioris causa, quippe qui iam poëmata iuvenilia fecisset, praecipi putat, ne intra mediocritatem subsisteret. Denique *Lindemannus* de carminis ordine ac dispositione disserens: *Sponte*, inquit, *intelligitur talem dispositionem, qualem rhetores requirunt et qualis est in oratione, non esse in epistola quaerendam, ne dum in poëtica. Nihilo tamen minus Horatius satis iustam rerum dispositionem fecisse in hac epistola deprehenditur.* Ad quam rem comprobandam omnes carminis sententias tanquam singula praecepta denuo lectoribus ante oculos posuit, qua ratione se facilem et commodam totius epistolae dispositionem et lucidum ordinem ostendisse opinatur. Quod quo melius perspiceretur, epistolam in duas partes divisit, quarum prior usque ad v. 294. pertineat. In priore parte doceri, *in perfecto carmine quid requirendum*, *quae virtutes sectandae*, *quae vitia fugienda;* in altera autem, *quae via ineunda, ut iuvenis ad hanc consummationem poëtae perveniat, ut praeclarus poëta fiat.* Summam igitur carminis esse: *De perfecto poëta* vel ad Ciceronis exemplum: *De optimo genere poëtarum.* Priorem partem ab Horatio rursus in duas esse divisam, in praecepta *generalia* et *specialia.*

Videmus igitur *Lindemannum* in eorum sententia permansisse, qui Horatium in hac epistola, quae carmen didacticum sit, praecipua tantum artis poëticae capita ordine quidem, sed liberiore illo poëticae epistolae accommodato pertractasse iudicarunt. Quod satis perspicue his verbis declarat: *Etenim, tametsi negari non potest, in epistola maxime poëtica ordinem diligentem aut severiorem disputandi normam non recte quaeri; tamen ea argumenti tractandi licentia, quae plane nullum servet disputandi ordinem aut disserendi viam ac rationem, neque ulla ratione cogitata inter se nexa velit, ne in carmine quidem, et apud Horatium eo minus ferri poterit, quo magis ipse lucidum laudat ordinem eique multum tribuit v. 41 sqq.* Itaque ne cum *Lindemanno* quidem nobis conve-

nit, qui probe scimus fortasse alios in nostra sententia pluribus, quam nos ipsi in aliorum iudiciis de hoc carmine prolatis, offensuros esse.

Sed adhuc sub iudice lis est.

V i t a.

Natus sum in pago, cui nomen est Lommersum, anno huius saeculi quinto, parentibus *Ioanne Hilgers*, architecto, et *Anna Maria* e gente *Pabstiana* catholicam fidem professis, quos iam dudum inter mortuos lugeo. Pater, qui nihil antiquius habuit, quam ut liberos bene educandos curaret, me septendecim annos natum ac litteris, quibus aetas puerilis informari solet, imbutum Coloniam Agrippinensium deduxit, ubi in collegio Carmelitarum, quod postea gymnasii Fridericii Guilelmii nomine ornatum est, a *Frid. Carol. Aug. Grashofio*, directore dignissimo, viro amplissimo, in quintam classem receptus egregiis praeceptoribus usus sum. Sex annis post maturitatis testimonium nactus in alma litterarum Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana ab *Aug. Guil. Hefftero*, Rectore Magnifico, v. cl., inter cives academicos relatus et ab *Aug. Ferd. Naekio*, viro celeberrimo, philosophorum ordini ascriptus per triennium *Heinrichio, Naekio, Welckero, Niebuhrio, Brandisio, Delbrueckio, Aug. Guil. a Schlegel, Huellmanno, Rittero, Loebellio* et *Nadaudio*, vv. cll., operam dedi. Sed exacto triennio rerum mearum angustiae, ut Musarum sede relicta educatoris munus amplecterer, me coëgerunt. Qua necessitudine per tres annos in nobili quadam familia, cuius erga me benevolentiam satis laudare nequeo, devinctus alumnos meos primis litterarum elementis instructos ad gymnasium Bonnensem, qua in urbe litterarum studia maiore cum fructu denuo colere possem, comitatus sum. Itaque civium academicorum numero iterum ascriptus et professorum, quos supra nominavi, et *Windischmanni, Fichtii, Klausenii, Ritschelii*, vv. cll., scholis per triennium fere interfui.

Hos viros doctissimos, inlustrissimos, quos praeceptores mihi contigisse gaudeo, pia grataque memoria semper prosequar.

Theses.

I. Suam cuique philosophiam esse nego.

II. Ultimus Iliadis liber ad servandam carminis integritatem requiritur.

III. Ingeniosa Heinrichii coniectura in Iuven. Sat. I. v. 116 crotalistria non est probanda.

IV. Peerlkampius de Horatio bene meritus est.

V. In arte critica litterarum similitudo neque negligenda, neque nimis urgenda est.

VI. In Horatii Epp. II, 1, 58. verbo properare minime vituperatio continetur.

VII. Poëta ut lectorum animos commoveat, inter scribendum ipse sit commotus non oportet.

VIII. Horatii Carm. XIV. libri III. genuinum ac summo poëta dignum est.

IX. Coniecturarum paucissimae sunt certae.

X. In Sophoclis Oed. Col. v. 717. παραπτομένα non a verbo παραπέτεσθαι, sed a παράπτεσθαι ducendum est.

XI. Scriptoris mores ex eius scriptis non semper possunt cognosci.

XII. In Aeschyli Eumenidum v. 36. codicum scriptura στάσιν retinenda est.